DISSERTATIO JVRIS CANONICI,

De

JVRIBVS CAPITVLI SEDE IMPEDITA.

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS BRANDENBURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE,
&c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

JUSTO HENNINGO Böhmer/

JVRIVM D. ET EORVND. PROF. PVBL. EXTRAOR.

PATRONO AC PRAECEPTORE SUO SEMPER COLENDO,

D. Maii MDCCIV.

IN AUDITORIO MAJORI,

Publico Eruditorum examini ſiſtit

AVTHOR ET RESPONDENS

JVSTVS CHRISTOPHORVS WILLERDING,

Hildeſienſis - Saxo.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Litteris JO. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr. A. 1717.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

17.60]

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT I.

DE

CAPITVLO ET SEDE IMPEDITA IN GENERE.

§. I.

NAturam atque indolem ſedis impeditæ inueſtigaturo tanti obuenerunt ſcopuli, vt illos euitare haud aliter potuerim, niſi inſimul originem capituli, tanquam ſedis correlati, perſcrutarer. Fateor quidem, rem non carere difficultate, imprimis cum Canoniſtæ a ſe inuicem fortiter diſſentiant, quamq; pugnam componere mei non eſt inſtituti: aſt tamen cum cuique liberum ſit, ſaluo rectiꝰ ſentientium iudicio, amplecti opinionem, quæ ſaltim ſibi inter probabiles optima videtur, mihi quoque nemo vitio vertet, ſi viderit, mediam quodammodo electam eſſe viam, & non in certi cuiusdam iuratū verba authoris. Cum vero tota hæc materia ex inſtituto Canonum fluat, & ſupponat principia ex iure Canonico haurienda: non alia hic adducere poſſum, quam quæ inde profluunt, vt adeoque vtpluri-mum ex hypotheſibꝰ Canoniſtarum cōmuniter inter eos receptis argumentari debeam, quamvis illæ alias ſæpe ſub exa- *Ingreſſus.*

1718

Digitized by Google

men, a quo tamen abſtinebo, reuocari poſſint. Neque vero quis præmaturo iudicio exiſtimet, hæc a meo ſtudiorum genere eſſe alieniſſima, cum & iuris canonici ſtudium ex ratione Imperii noſtri Romano-Germanici nobis incumbat, & præterea hæ obſervationes in ipſis rerum argumentis vtilitatem præſtare poſſint.

Defunctis Apoſtolis presbyteri ſunt conſtituti ſive epiſcopi.

§. II. Quapropter vt aggrediar euolutionem propoſiti mei, indubitatæ veritatis eſſe exiſtimo, ſtatim poſt tempora Salvatoris, cura apoſtolorum, per ſingulas civitates, in quibus dulcedo euangelii ſiue iudæos ſiue paganos deliniuerat, conſtitutos fuiſſe ab initio quidem tantum obſeruatores, qui curam haberent fidelium, die bey der Gemeinde am Dienſt waren/ & apoſtolis de ſtatu eccleſiæ quæuis referrent; poſtea vero mortuis apoſtolis, etiam presbyteros, qui pietate & prudentia venerabiliores reliquis, gubernarent eccleſias ipſisq; præeſſent. Dicebantur vero etiam miniſtri & paſtores, quia miniſtrant eccleſiæ, & oues ſibi concreditas paſcunt, Chryſ. *hom. 2. in epiſt. ad Philip.* Epiſcoporum quoque nomine iidem paſſim appellati & inſigniti ſunt, quaſi eorum officium ſit ἐπισκοπεῖν i. e. ſuperintendere & inſpicere mores & vitam Chriſtianorum *C. cleros diſt. 21.* Sic etiam Auguſtinus *lib. 19. de civit. Dei c. 19.* inquit: *Epiſcopus eſt nomen operis non honoris; Græcum eſt enim atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur eis, quibus præficitur, ſuperintendit, curam ſc. eorum gerens, ἐπὶ quippe ſuper; σκοπὸς vero intentio eſt. Ergo epiſcopos latine ſuperintendentes dicere poſſumus c. qui epiſcopatum C. 8. qu. 1.* Promiſcue quoque in nouo teſtamento vtraque appellatio presbyteri & epiſcopi adhibetur. *Vid. 1. Tit. 5. & 7. & 1. Petr. V. 1. 2. Act. Apoſt. XX. 17. & 28.* Neque in primitiua eccleſia vlla vnquam inter eos ponebatur aut quærebatur prærogatiua, quod plenius deducit Ziegl. *de Epiſc. lib. 1. c. 5.*

Auctis vero

§. III. Neque vero vna ciuitas vno presbytero potuit ſemper

ſemper contenta eſſe, ſed creſcente magis magisque Redemptoris nomine, augeri quoque numerus presbyterorum ſiue epiſcoporum debuit, vt eo melius plebs Chriſtiana erudiri & *διακονία τοῦ λόγου* eo promptius expediri poſſet: quamuis ab initio, vbi per ſingulas ciuitates quidam conſtituti erant, qui curam eccleſiæ haberent, non præciſe allegati eſſent ad illum locum, nec certum inter ſe collegium politicum, cum excluſione ceterorum conſtituerent, id quod ſimplicitati Eccleſiæ primitiuæ repugnabat. Hinc omnium presbyterorum ab initio vna erat mens, vna voluntas, vnus animus, communibus viribus in vinea Chriſti laborandi, & vnanimiter ſibi inuicem adverſus æſtum & pondus diei ſuccurrendi. Verum communis illa adminiſtratio cum aliquamdiu duraſſet, paulatim in peius degenerare incepit, & qui quondam vnanimis labor fuit, ille poſt diſſidia & contentiones peperit, poſtquam amor divinus, qui continebat cœtum fidelium, refrigeſcere, & amor mundi cum ambitione corrumpere eccleſiam inciperet. Hinc itaque factum eſt, vt inter ipſos Eccleſiæ miniſtros cum animis diuiderentur officia, & prærogatiuæ quædam & dignitates inſtituerentur, quod optime illuſtrant verba Hieronymi adducta a Gratiano in *c. olim 5. D. 95.* *Ne enim vnusquisque ad ſe trahens Chriſti eccleſiam*, vt loquitur Hieronymus *in C. legimus. diſt. 93.* *rumperet eandem, in remedium ſchismatis factum eſt, vt vnus ex presbyteris in ſingulis ciuitatibus electus fuerit*, qui reliquis præponeretur, ita tamen, vt cum eorum conſilio omnia gereret atque adminiſtraret. Conf. Duarren. *de S. S. eccl. miniſt. lib. 1. c. 7.* Lancell. *Inſt. Iur. Canon. lib. 1. tit. 21. §. 3.* conf. Grot. *de Imperio ſumm. poteſt. circ. ſacra. c. 11.*

numeri presbyterorum diſſidia inter ipſos ſunt orta.

§. IV. Et ſane conſultũ omnino fuit eccleſiæ, præſertim poſtquam faſtus & *φιλαυτία* eam infeſtarunt, vt aliquis ex miniſtris eccleſiæ eligeretur, qui conſulendo, hortando, monendo aliis præiret, deſides miniſtros admoneret, errantes in officio re-

Quo factum, vt vnus ex ipſis electus fuerit, cui nomen epi-

Digitized by Google

ſcopi eſt tributum vt reliquis præeſſet.

retineret, ſuffragia in cauſis dubiis colligeret, & id quod decernitur, pie & prudenter exequeretur. Vid. Ziegl. *ad Lanc. l. cit.* Huic vere vni ex presbyterorum numero electo, nomen epiſcopi, quod antea omnibus erat commune, eſt attributum, vt hac propria appellatione a reliquis diſtingni poſſet *c. legimus. diſt. 93.* vti etiam presbyteri & epiſcopi à ſe diſcernuntur *in l. 34. l. 50. C. de Epiſc. & cleric.* Ex eo ergo tempore presbyteri non amplius epiſcopi ſunt appellati. *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6. c. 33.* Licet epiſcopi presbyterorum nomen nunquam recuſauerint *Euſeb. l. 5. c. 24.* in ſingulis vero ciuitatibus horum presbyterorum quoddam collegium fuit, (ceu in noſtris eccleſiis miniſterium adeſt, quod itidem *Collegium miniſtrorum Eccleſianum certæ alicuius ciuitatis* deſignat.) Huic præerat Epiſcopus tanquam primarius inſpector: vnde apud Ignatium Martyrem *ſacerdotium* ſæpe dicitur *ſacer cœtus, conſiliarii & aſſeſſores Epiſcopi:* item Presbyteri dicuntur *conſeſſus quidam & coniunctus Apoſtolorum cœtus* Vid. M. A. de Domin. *de Republ. Eccl. l. 1. c. 3. §. 14.* Inde Hieron. *in epiſt ad Tit. c. 1.* dicit *communi presbyterorum conſilio eccleſias fuiſſe rectas.* Hicce vero cœtus decurſu temporis in nouum nomen ſc. CANONICORVM COLLEGIVM tranſiiſſe videtur. Conf. Marc. Anton. de Dominis *de Republ. eccleſ. lib. 2. c. 9. n. 6.* Duar. *de S. S. eccl. min. lib. 1. c. 7.*

Hic cœtus presbyterorum in nomen capituli tranſiit, quod declaratur

§. V. Mea autem non eſt ſententia, ac ſi Collegium Canonicorum, vel vt alio vocabulo dici ſueuit, capitulum, vnice conſtituant presbyteri, ſed & alii inferiores miniſtri eidem Eccleſiæ neceſſarii atque inſeruientes; ſic, vt presbyteri canonici ſint, qui ſunt ordinarii in illa Eccleſia Miniſtri in officio presbyterali, Diaconi vero Canonici, qui in Diaconali, & Canonici ſubdiaconi, qui in ſubdiaconali Vid. M. A. deDomin. *de rep. eccl. lib. 2. c. 9. n. 6.* Quos ſimul omnes presbyteros, Diaconos&Subdiaconos eiuſdemEccleſiæ ordinarios, qui ab ea alimenta pro ſuo miniſterio ex communi maſſa acciperent. Hiero-

eronymus *in Iſa. cap. 3. Senatum* vocat *Eccleſiæ* atque refert, in Eccleſiis nihil ex grauioribus ſine conſultatione Epiſcopi cum ſuo Clero peragi, quemadmodum Imperatores in ſenatu etiam grauiora quæque deliberanda propoſuerint. Licet vero idem Hieronymus in *c. Eccleſia C. 16. q. 1.* hoc videatur reſtringere ad presbyteros, tamen hanc vocem generalitet ſumit, vti explicari poteſt ex *c. Epiſcopus nullius c. 15. q. 7.* vbi Concilium Carthaginenſe IV. ſtatuit: *Ne Epiſcopus ullius cauſam audiat, absque præſentia ſuorum* CLERICORVM, *alioquin irrita erat ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum ſententia confirmetur.* Iam vero presbyteros, diaconos & ſubdiaconos vocari canonicos Clericos, patet *ex c. 9.* Concilii Moguntini ſub Carolo M.

§. VI. Eadem ratione Alexander III. graviter increpat Hieroſolymitanum Patriarcham in *C. nouit. 4. X. de his quæ fiunt a præl.* quod ſine Canonicorum conſilio grauiora Eccleſiæ negotia perageret his verbis: *Nouit diſcretiones tuæ prudentia, qualitur tu & Fratres tui vnum corpus ſitis, ita quod tu caput & illi membra eſſe probantur. Vnde non decet te omiſſis membris aliorum conſilio in Eccleſia tua negotiis vti &c.* Sic quoque in *c. ſi quid diſt. 89.* Gregorius monet, iudicia ab Epiſcopo eſſe exercenda ſenioribus præſentibus ſuæ Eccleſiæ. Nec eſt quod dicas: per ſeniores hic tantum intelligi presbyteros, cum huius vocis Græcæ illa ſit ſignificatio. Reſpondeo enim breuibus: Nomen Presbyteri dignitatis eſt, non ætatis *c. cleros Diſt. 21.* Hugo Grotius *de Imperio ſummar. poteſt. circa ſacra c. 11. §. 14.* Quemadmodum igitur Epiſcopus, tanquam caput membra ſiue canonicos in conſortium conſiliorum vocare tenetur, ita quoque illi canonici, qui poſſunt, i. e. presbyteri vi ſui ordinis cum Epiſcopo & poſſunt & tenentur ſimul laborare. In Eſſentialibus enim quæ ſpectant ad eccleſiaſtica Miniſteria, erga fideles populos exercenda, Epiſcopis presbyteri ſunt fere æquales. Vid. M. A. de Dominis *de Rep. eccl. lib. 2. c. 9. n. 1.*

Vlterius probatur quod capitulum ſit ſenatus eccleſiæ.

Digitized by Google

Tempore Auguſtini collegium canonicorum nouam formam induit,

§. VII. Et hæc quidem generalis origo canonicorum ſeu collegiorum Clericalium fuit. Cœpit deinde peculiaris facies Canonicorum oriri, poſtquam Auguſtinus Cleri cuiusdam peculiare collegium inſtituit, intime inter ſe coniunctum & quodammodo a priſtino modo viuendi diuerſum. Nam conſtat canonicos ante tempora Auguſtini libere vitam egiſſe, & peculiaris nullius regulæ vinculo ſe adſtrinxiſſe. Prodeunte vero Auguſtino paulo aliter facies canonicorum eſt immutata. *Factus is enim presbyter* (verba ſunt *Poſſidii in vita Auguſtini c. 5.*) *monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit & cum Dei ſeruis viuere cœpit ſecundum modum & regulam, ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam maxime, vt nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed iis eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique, prout cuique opus erat &c.* Quod factum Auguſtini imitati ſunt Epiſcopi, cum ſuo cœtu ſacro, ſuis Conſiliariis & Conſeſſoribus, vt ita appellantur ab *Ignatio in Epiſt. ad Trallianos*, & in unum coiverunt clauſum, vt quaſi moneſticam vitam ducentes Eccleſiæ inſeruirent, communi vero dormitorio & bonis ad ſuſtentatiouem neceſſariis uterentur. Hæc ergo vitæ ratio nihil fere a Monachiſmo differebat, ſed potius producebat nouũ quoddã genus Monachorum, ſedibus Epiſcopalibus adiacentium, inſimulque Conſiſtorium eccleſiaſticum, & eccleſiaſtici miniſterii ſeminarium *vid. c. neceſſaria 3. C. 12. q. 1.* Docebantur vero in illis collegiis bonæ litteræ cum ſacra ſcriptura, vnde adhuc varia nomina inter canonicos proueniunt, e g. nomen ſcholaſtici &c. Sequioribus autem temporibus iſta docendi prouincia non canonicis amplius ipſis, ſed alii alicui extraneo, & quidem mercede conſtituta, fuit impoſita, vti patet ex integro *titulo decretalium de magiſtr. & ne aliquid exigatur pro lic. doc.*

Denominatur vero Canonicus a Canone ſiue certa penſione.

§. VII. Huic collegio canonicorum ex regulis Auguſtini viuentium ſingulis diebus certus CANON præſtabatur, id eſt, certa penſio vel annona diſtribuebatur, velut pro ſtipendio & mercede, quæ alimentorum ſubminiſtratio degenerauit poſt-

poſtea in nomen *præbendarum. Conf. Barboſ de Canon & dign. c. 1.* vt adeoque vocabulum canonicorum ab hoc definito canone deſcendere quidam arbitrentur *vid. l. 5. C. de S. S. eccl. l. 1. de indict. l. 1. 3. C. de canon frum. urb. Rom.* Canonicam enim ordinariamque & certam perſionem accipiebant, qui in illud collegium cooptabantur, ſiue in illa Eccleſia titulabantur. *Vid Duar. D. S. S. eccl. min lib. I. c. 18.* Reliquis clericis vero non canonicis, h. e. in eccleſia non titulatis, neque pro miniſteriis adſcriptis, pro cuiusque merito aliquid erogari ſolebat ex oblationibus incertis, quæ fiebant in eccleſia. Vid. M. A. de Dominis *de Rep. eccleſ. l. 2. c. 9. n. 6.* Marſil. *de redit eccl. p. 1. 2. c. 14. n. 11.* Forget. *in tract. de perſon. eccleſ. c. 24. n. 6.* Hinc deſcendit canonica portio, cuius mentio paſſim fit in iure canonico e. gr. *c. ult. de teſtam.* Alii tamen canonici derivationem depromunt a ſingulari viuendi canone, quæ ratio appellationis ſecundaria eſſe poteſt, maxime hodie, vbi canonici vix canonice amplius viuunt, habito reſpectu ad vitam canonicorum priſtinorum temporum.

§. IX. Hac poſita ſententia ſtatim prono alueo fluit: diſtinctionem inter canoicos regulares & ſeculares non inuoluere contradictionem, vti tamen putat Cranzius Metr. *l. 4. c. 1.* adductus a Ziegl. ad Lanc. *inſt. iur. can l. 1. t. 26. §. 2.* ſed ex illo principio, quaſi nimirum canonici deſcendant a Canone ſive regula: Quorum illi adhuc ſunt, qui monaſticam vitam in clauſtris ducunt, hi vero, qui votis monaſticis ſoluti & certarum antea libere receptarum regularum vinculis, non refragante iure, iterũ ſubducti nunc libere viuunt atque ius canoniæ ſiue præbendæ in eccleſia cathedrali vel collegiata habent. Quamuis Archiepiſcopus Spalatenſis *de rep. eccl. lib. 2. c. 9. n. 7.* hanc diſtinctionem plane non admittat, ſed ex principio Cranzii hanc reiiciat. Diſtinguuntur vero hi varie ratione officiorum: ſunt enim alii primiceri *vid. Baluz. 3. miſcel. pag. 4. & 180.* & cantores, alii ſacriſtæ & theſaurarii *vid. t. t. X. de officio primicerii de off. ſacriſt.*

Hinc diſtinctio inter Canonicos regulares & ſeculares non inuoluit contradictionem Diſtinguuntur vero alias varie.

criſt. & de off. cud. alii cuſtodes, alii ſcholaſtici, qui magiſtri apellantur *in c. 1. X. de magiſtr.* alii cellarii &c. Qui ſuum habent decanũ, qui curam rerum ad capitulum ſpectantium potiſſimum gerit, atque præpoſitus, qui primus inter capitulares eſt, & ius conuocandi capitulum habet *Engel. C. I. C. 1. 1. 31.* Præterea alii vocentur capitulares, alii domicellarii. Capitulares ſunt, qui cum præpoſito ſenatum conſtituunt atque particuluria ſua habent aſſignata bona, reliqui vero vocantur domicellarii iuxta Dn. Imhoff. *not. proc. Imper. lib. 2. c. 2. §. 9.* Cæterum prærogatiua gaudent præ ceteris ſui ordinis clericis, quatenus capituli ſunt membra & ſocii regendæ eccleſiæ. Singuli tamen abbatibus & præpoſitis cedunt. Engel. *Coll. Iur. Can. l. 1. 28.*

Eruitur origo eccleſiarum cathedralium.

§. X. Dictum vero eſt in §. præc. canonicos vel eſſe in eccleſia cathedrali, vel collegiata: hinc originem atque naturam eccleſiarum cathedralium paulo arctiꝰ inſpicere methode meo conducet. Sc. creſcente numero Chriſtianorum cum paſſim conſtructæ eſſent baſilicæ atque eccleſiæ, non in ciuitatibus modo, ſed etiam in vicis & pagis, ſingulis epiſcopus presbyteros præponere debebat *vid. c. eccleſias. C. 13. q. 1.* Quoniam enim in una eccleſia uniuerſus totius ciuitatis ac multo minus totius diœceſeos populus non potuit ſacra percipere, verbum Dei audire & piis Chriſtianis exercitationibus intereſſe, plures certe, tum in ciuitatibus præſertim majoribus, tum in oppidis & vicis, eccleſiæ ſunt inſtitutæ, iisque, uti dictum, ſui fuerunt presbyteri & alii neceſſarii miniſtri præfecti. Hinc variæ ſunt ortæ eccleſiæ eiuſdem diœceſis, iisque proprii parochi deputati *Conſ. c. epiſcopi diſt. 80.* Aſt vbi epiſcopus cum ſuo collegio Canonicorum reſidebat & ſacra peragebat, vocabatur eccleſia cathedralis, quod nimirum coniunctam haberet cathedram ſiue ſedem epiſcopalem. Olim enim epiſcopi, quorum munus proprium erat docere *c. inter cætera X. de offic. ordin.* ſedentes in ſella & cathedra docebant. Euſeb. *lib. 7. eccl. c. 15.* Ac quoties epiſcopus aliquis creabitur, collocari in cathe-

Digitized by Google

thedra tanquam in ſolio & throno ſolebat, veluti poſſeſſionis cuiusdam apprehendendæ gratia. Vid. Duar. *de S. S. eccl. min. lib. 7. c. 5. §. 1.* Hinc fluit brocardicum canoniſtarum: *In cathedra ni ſederit Epiſcopus, coniungi altera dos non poteſt ſc. annulus.* Ex hoc quoque deſcendit ius cathedraticum, ſiue facultas exigendi certum vectigal, quod veluti tributi nomine cathedræ debetur, i. e. honori epiſcopi, in ſignum ſubiectionis & reuerentiæ epiſcopo debitæ *c. paſtoralis. c. cum olim. X. de cenſibus* Conf. Anton. Granannieto *in caten. iur. lib. 3. tit. 39. ad c. ſancimus n. 6.* Cathedra enim in iure canonico pro honore ac munere epiſcopali ſæpe accipitur. *c. non autem. c. placuit. c. ſi epiſcopus C. 7. q. 1.* Sicuti *ſtola* pro reditibus & officio Parochorum vid. Dn. Præſ. *Ius paroch. S. 6. c. 2.* Facile nunc patet, quid ſit eccleſia collegiata, quæ ſc. quidem habet collegium canonicorum cum capite, quod tamen epiſcopo eccleſiæ cathedralis ſubeſt, quippe qui plures eccleſias collegiatas ſub ſe habere poteſt. Felin. *in c. accedentibus X. de præſcript. n. 1.*

§. XI. Sunt vero epiſcoporum varii gradus. Vel enim ſunt *ſimplices*, qui vni alicui ciuitati & vicis, qui ab illa ciuitate dependent, præſunt, vocanturque alias ſuffraganei, excepto in Germania Bambergenſi, Vall. *ad tit. X. de auth. & vſ. pallii §. 2. n. 1.* Vel ſunt *Archiepiſcopi*, qui præſunt totius prouinciæ epiſcopis, habentque poteſtatē in ſuffraganeos, non vero in ſuffraganeorum ſubditos, paucis exceptis: vocantur etiam Metropolitani *iuxta c. cleros. diſt. 21.* Vid. Caniſius *in ſum. iur. can. lib. 1. tit. 5. §. 3.* Vel ſunt *primates*, qui aut concurrunt cum Archiepiſcopis, aut illis ſunt ſuperiores & multarum prouinciarum (e. gr. primas regni Polonorum) curam gerunt; Vel denique ſunt *patriarchæ* qui primum poſt ſummum pontificem locum obtinent. *c. vrbns. D. 80. c. cleros D. 21.* Quales ſunt Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus & Antiochenus. Inter quos omnes ſummam dignitatem habet Papa, à quo proximi ſunt Cardinales, qui tamen non tam in ordine quam dignitate & *Sunt epiſcopi varii gradus.*

officio ſunt conſtituti, quod ex eo patet, quod alii ſunt cardinales epiſcopi, alii presbyteri, alii diaconi conf. Linckiꝰ ad decretal. *tit. de poſt. pral.* §. 9. Si quæris, cur hæc Hierarchia ſit inſtituta? Reſpondent Canoniſtæ: *Vt auguſta illius ac diuinæ ciuitatis, quæ eccleſia vocatur, vnitas ac tranquillitas eo melius conſeruetur.* Dicunt porro: *auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & eccleſia domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur c. loquitur 18. C. 24. q. 1.* quæ omnia, cum ex principiis Canoniſtarum hic argumentari debeamus, ſub noſtrum haud vocabimus examen. Quemadmodum vero epiſcopus conuocat Presbyteros ſuæ ciuitatis & vicorum ciuitati ſubiectorum, vt eorum conſilio res eccleſiaſticas adminiſtret, & controuerſias dirimat, ſic Archiepiſcopus aut Patriarcha ſuæ prouinciæ aut nationis antiſtites cogit & congregat, quo grauiora negotia in ampliori maiorique conuentu tractari & definiri poſſint, & quæ perperam & iniuſte decreta, vel iudicata ſunt, ad maius iudicium gradatim referantur. *Conf. c. 1. 2. 3. 5. 7. Cauſ. 6. q. 4.* Has enim ob cauſas ſynodi tam ciuitatum, quam prouinciarum & nationum ſingulis annis haberi debebant. *C. 7. D. 18. Nov. 123. c. 10.* Duar. *de SS. eccl. miniſt. lib. 1. c. 9.*

Mortuo epiſcopo cura eccleſiæ ad capitulum pertranſit.

§. XII. Sed reuertimur ad capitulum. Hoc quia cum Epiſcopo vnum conſtituit corpus, ita vt hic caput, illud vero reliquam partem corporis efficiat per *c. nouit. X. de his quæ fiunt &c. c. 5. eod.* (quamuis epiſcopus in illud non exerceat poteſtatem, niſi in defectum Decani, qui eſt capituli ſuperior immediatus, & quia vnum corpus ſeu collegium eſt, etiam particularia negotia, illud capitulum concernentia, tractare poteſt. Vid. Wagn. *ad c. 2. X. Ne ſede vacante.*) ideo ſtatim atque mortuus eſt epiſcopus, interim dum alius ſubſtituatur, ordinarie regimen

men illius eccleſiæ totum plenum & integrum, excepta ordinatione, & actibus ordinis epiſcopalis propriis, eſt penes totum collegium canonicorum. Equidem M. A. de Dominis *Rep. eccl. l. 2. c. 9. n. 10.* hoc reſtringit ad canonicos *presbyteros. Canonici enim non presbyteri*, vt dicit, *cum nullam habeant poteſtatem Presbyteralem, neque ſint apoſtolorum in Presbyteratu ſucceſſores, vt ſunt presbyteri, nihil iuris habent in regimine.* Verum ita quidem olim videtur fuiſſe, ſed cum poſtea facies eccleſiæ mutata, & Clero Iurisdictio quædam, cum poteſtate presbyterali nihil commune habens, attributa fuerit, & deinde, cum a nobis ſupra §. 5. & 6to ſit euictum, etiam inferiores miniſtros ipſis presbyteris referri ad Senatum eccleſiæ, atque ab epiſcopo in conſilium vocari debere, factum exinde eſt, quod clerus indiſtincte mortuo epiſcopo in conſortium regiminis vocari debuerit, præprimis cum non omnes actus, qui expediuntur, a poteſtate presbyterali dependeant. Videntur quidem obſtare textus in *concilio Trident. ſeſſ. 32. de reform. c. 4. & clem. 2. de ӕt. & qual. præfic* Vbi diſponitur: *Vt nullus vocem in capitulo habeat niſi ſeltim in ſubdiaconatus ordine fuerit conſtitutus.* Sed reſpondeo; Textus hoſce loqui de illis canonicis, qui vocem ratione canoniæ habent, non vero de iis, qui illam alio iure, vtpote priuilegio, ſtatuto, fundatione vel conſuetudine habent, qui licet ſubdiaconi non ſint, ad vocem tamen in capitulo admittuntur. Conf. Barboſa *de canon. c. 37. per tot.*

§. XIII. Quemadmodum igitur epiſcopus, vti vice plus vna ſimplici dictum, dicitur cathedralium ſeu cathedralis eccleſiæ (cui etiam ſpirituali coniugio dicitur copulatus per *C. requiſiſti 15. X. de teſtam.*) cuius capitulares repræ ſentant illam eccleſiam, conſtituuntque cnm epiſcopo vnum corpus; ita vt nihil fere Epiſcopus de rebus eccleſiæ ſine conſenſu aut conſilio eorum expedire queat *c. t. X. de his quæ fiunt a prælat.* ita quoque ſede vacante (imo & negligente vel abſen- *Quod probatur ex antiquitate eccleſiaſtica.*

 te

Barboſa *de iure eccleſ. lib. 3. c. 10. n. 32.* accedente ſimul conſenſu eorum, qui ius eligendi habent, ne alioquin illis eripiatur per indirectum ius eligendi. Alteſerra *diſſ. Iur. Can. l. 1. c. 6.* Et hæc coadiutoria plane irregularis eſt, & a iure Canonico quodammodo aliena, introducta tamen præterea hodie in fauorem magnatum, vt aliquando ſuccedant, Wagnerek *ad c. vn. de Clerico ægrot. in 6. not 3.* Linck *de Iur. Epiſc. c. 4. n. 57.* Engel. *ad tit. de Cler. ægrot. n. 7.* licet plane non adminiſtrent, quod alias coadiutorum eſt proprium. Vnde quamdiu coadiutor eſt, viuente ſcilicet Epiſcopo coadiuuando, tantum ius quoddam ad rem videtur habere, ſeu ſpem ſuccedendi: aſt vbi mortuus eſt is, cui coadiutor datus, exſerit ſe ſtatim ipſa ſucceſſio, & quia iam electio quaſi anticipata & a Pontifice confirmata, & hactenus tantum ſuſpenſa, iam quaſi purificatur, vt ſic plenum ius, quod defunctus Epiſcopus habuit, coadiutor perpetuus conſequatur. Vnde ſi verum diſſimulare nolumus, impeditur ita ſedis vacantia, quia ſtatim adeſt ſucceſſor, iam antecedenter confirmatus & deſignatus futurus epiſcopus, quamuis quandoque contingere poſſit, vt quædam quaſi ſedis vacantia introducatur, dum ipſe coadiutor non poſſit, ob ſtatum temporum, vel aliam belli calamitatem aliamque cauſam occupare ſedem iam ei deſtinatam, & ſic per indirectũ penes capitulum interim adminiſtratio eſſe debeat. Quod multo magis tunc procedit, ſi impedimentum a coadiutore cauſatum fuit, ſic enim ipſe in culpa eſt, quo minus ſuccesſio, quam in effectum deducere, in ipſius perſona locum habere poſſit. Simile quid in antiquitate eccleſiaſtica deprehendim9, vt epiſcopus corporis infirmitate laborans, aliquẽ ſibi adiunxerit, qui tantum temporalia adminiſtrauerit (niſi ſimul fuerit factus coepiſcopus, quod ſæpius factum, & conceſsũ *in c. qualiter 13. c. quamuis 14. 7. q. 1.* vt eo fidelius coadiutor laboret & ſit proprius paſtor non mercenarius) & exercuerit regimen eccleſiæ, pontificalia vero a vicino epiſcopo rogato ſuppleta fuerint, hacq; ratione ſucceſſorem quodamõ

Digitized by Google

deſignauerit, anticipaueritque, ſe mortuo, eligendum. Abhorret enim eccleſia epiſcopum infirmum deiicere, & illo eiecto, alium in eius locum ſurrogare *c. ſcripſit c. 7. q. 1.* Sic Narcyſſo Epiſcopo Hieroſolymitano adhuc ſuperſtite, licet ſene & infirmo, Alexander, epiſcopus cuiusdam eccleſiæ in Cappadocia, qui deuotionis cauſa Hieroſolymam venerat, factus eſt Narcyſſi Collega. *Euſeb. lib. 6. cap.* 9. Auguſtinus a Valerio Hipponenſi coadiutor cum futura ſucceſſione cum conſenſu cleri & populi factus, plene ſucceſſit in epiſcopatu Hipponenſi *c. non autem. c. 7. q. 1.*

Tribus vero modis ſedes eſt vacans

§. XV. Contingit videlicet ſedes vacantia tribus potiſſimum modis (I.) *De facto tantum*, quando ſc. nullus actualiter poſſidet, ius tamen ad illum epiſcopatum habet ac retinet e. gr. quando epiſcopus vi vel metu eſt deiectus aut ad reſignationem coactus, & hæc ſedes reuera vacans dici non poteſt, (II.) *De iure tantum*, quando quis detinet quidem omnino vacuum epiſcopum, ſed iniuſte, quod e. gr. electus vel poſtulatus fuerit ab iis, qui ius poſtulandi non habent, & hæc vacantia ſufficit. (III.) *De iure & facto ſimul.* Quando epiſcopus vel per mortem epiſcopatum habere deſinit *c. 1. X. Ne ſed. vacant. c. ſuſceptum de reſcrip. in 6. c. quamuis 38. de præb. in 6.* aut ſua ſponte epiſcopatum reſignauit *c. fin. de renunc.* aut vitio ſuo illud amiſit, velut per aſſecutionem alterius beneficii incompatibilis *c. referente 7. c. præterea 14. c. de multa 28. de præbend.* aut ſi matrimonium contraxit *c. 1. & 3. de Cler. Coniug.* quos & alios vacantiæ modos proſequuntur late Gregor. *de beneſic. c. 38.* Garcia & alii, quos laudat Vallenſ. *de beneſ. lib. 2. tit. 23. & 24.* Et hæc plena vocatur vacantia. Ne vero ſedis vacantia eccleſiæ eſſet nociua, hinc ea de receptum eſt in concilio Lateranenſi, iuxta *c. 41. X. de elect.* his verbis. *Ne pro defectu paſtoris gregem dominicum lupus rapax inuadat, aut in facultatibus ſuis eccleſia viduata graue diſpendium patiatur; volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum*

Digitized by Google

rum & eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus, ne vltra TRES MENSES CATHEDRALIS ECCLESIA *epiſcopo vacet, intra quos* (IVSTO IMPEDIMENTO CESSANTE) *ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant ea vice, ac ipſa eligendi poteſtas ad eum, qui proximus ſuperior eſſe dignoſcitur, deuolvatur: Is vero, ad quem fuerit deuoluta poteſtas, Deum præ oculis habens non differat ultra tres menſes, cum conſilio capituli ſui & aliorum virorum prudentia fulgentium, viduatam eccleſiam de perſona idonea, ipſius quidem eccleſiæ vel alterius, ſi dignus non reperiatur in illa, canonice ordinare, ſi canonicam voluerit effugere ultionem.*

§. XVI. Poſſet quidem vrgeri contra hæc prolata verba textus, in aliis beneficiis & dignitatibus præfixum eſſe tempus ſemeſtre, quod etiam hic locum habere poſſet, imprimis cum quoad ſpiritualia capitulum ſede vacante ſuccedat in omnem iurisdictionem epiſcopalem *c. cum olim de maior & obed. c. pen. & ult. de ſuppl. neglig. in 6. c. 1. de inſtit. in 6. Concil. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 10. & ſeſſ. 23. c. 10.* quoad temporalia vero i. e. quoad facultates eccleſiæ ſede vacante conſtituatur œconomus, qui fructus & bona adminiſtret *c. cum vos 4. de off. ord.* Sed his dubiis non obſtantibus nihilominus eccleſia tam in ſpiritualibus quam in temporalibus grave damnum pati poteſt. Et quidem in ſpiritualibus res caret dubio: ſi enim, inquiunt Canoniſtæ, paſtorem diutius deeſſe contingat, variis incurſionibus ſuppoſita eſt eccleſia, cum prælati officium ſit invigilare ſuper gregem ſibi commiſſum *c. inter cætera de off. ord.* ſacramenta confirmationis & ordinis adminiſtrare, quorum miniſter ordinarius eſt *c. 4. X. de conſumt. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4.* etiam chriſma conficere & eccleſias conſecrare, quæ munia obire tantum poſſunt epiſcopi *c. omni 124. de conſecrat. D. 4. c. 3. D. 95. c. pen. de conſec. eccl.* Deinde in temporalibus etiam graue damnum timetur ex epiſcopi defectu, quia debet bona eccleſiæ adminiſtrare *c. fin. C. 16. q. 1.* Vnde diutina eccle-

Dubia mouentur adverſus c. 41. X. de elect.

Digitized by Google

cleſiæ vacatio valde damnoſa eſt eccleſiæ, uti probat *c. quam ſit. de elect. in 6.* Et prælatus eſt proprius legitimus & immediatus defenſor eccleſiæ *c. 21. X. de reſcript.* cuius induſtria eſt electa *c. fin. de off. archipres.* Ergo diu viduam eam relinquere nequit. Conf. Gonzalez. *ad c. 41. X. de elect. n. 10.* vt alia iam hic non tangamus, quæ Canoniſtæ pro neceſſitate electionis intra tres menſes faciendæ, hic cumulare ſolent, quæ iam in medio relinquimus.

Examinatur porro cit. c. 41. X. de elect.

§. XVII. Sed dicis: Cur ille ſuperior, ceu dicitur in *c. 41. X. de elect.* ad quem ius eligendi deuoluitur, præciſe adſtringitur, ut cum conſilio capituli vel præſtantium virornm viduatæ eccleſiæ de epiſcopo proſpiciat? Reſpondeo, quoniam electio ex iure deuoluto competit, cauſæ ſane cognitione opus eſt, imprimis præcedere debet, ut inquiratur, an ſcientia vacantiæ adfuerit, an iuſtum impedimentum, an tempus elapſum ſit? &c. Vid. Salgado *de protect. Regia c. II. n. 40.* Nouum vero oritur dubium, quomodo nimirum tempus in præſenti præſcriptum accipiatur? An ſit continuum an vero utile? Et dicendum eſt, eſſe utile, non continuum, & non a die vacantiæ ſed a die ſcientiæ computari *c. 5. X. de conceſ. præb. clem eod. tit. arg. l. fin. in f. ff. quis ord. in bon. poſſ.* Cum etiam hoc deuolutionis ius ſit introductum in pœnam illius qui conferre negligit, ut coërceatur eius negligentia, quæ abſque ſcientia dari non poteſt *c. 2. de conſt. c. 54. de ſententia exc.* merito noſtra ſententia firmo nititur talo. Inſtas quidem: In dubio, cum tempus in iure præfinitum eſt, non utile ſed continuum iudicari. *l. 1. §. 7. ff. quando appell. l. nunquam §. 1. ff. de Vſuc. l. 25 ff. ad leg. jul. de adult. l. 4. ff. de pœnis l. 41. ff. de fideic. libert. l. ult. iunct. l. 4. §. ſi Stichus, de liber. &c.* Sed licet in his textibus tempus continuum, non vero utile iudicetur, in aliis tamen iuris teſtimoniis contrarium deciditur, utile videlicet non continuum tempus exiſtimari, e. gr. *in l. 1. §. 39. ff. de vi. & vi. l. 3. C. de ædil.*

Digitized by Google

ædil. l. ſciendum §. *vlt. ff. de ædil. edict. l. 14.* §. *1. verſ. poſt annum ff. quod met. cauſ. l. interdum 19. ff. de minor. l. 3. ff. de calumn. l. 2. ff. quis ordo in bon. poſſ. l. 3. in fin. ff. de accuſ. l. 28. ff. de ſtatu liberis l. 46. ff. de cond. & demonſtr. l. 6. C. qui admitti. Auth. niſi C. de bon. mat. l. vlt. in pr. C. de iur. delib. l. 30. C. de iur. dot. l. 1. C de annal. except. c. 1. de integr. reſtit. in 6. &c.* Sed quæ conciliatio huius maſſæ iurium? Diſtinguamns cum Gonzalez. ad *c. 5. X. de ſuppl. negl. prælat. n. 11.* an lex tempus præſcripſerit in odium negligentis, an in alicuius fauorem & gratiam. Priori caſu tempus eſt vtile, poſteriori vero continuum. Vnde cum trimeſtre tempus a concilio Lateran. ſit præſtitutum in odium negligentis, vtile iudicatur. Vid. Barboſa *alleg. 126. n. 44.* vbi etiam ſatisfecit deciſioni textus in *c. ſtatutum 3. de præbend. in 6.*

§. XVIII. Currit vero prædictum tempus trimeſtre de momento in momentum, æque ac iuris eſt in aliis terminis a lege aſſignatis, vtpote decendio ad appellandum præfixo *c. 32. de elect. c. concertationi de appell. in 6.* & ad apoſtolos petendos *c. ab eo. de appell.* in confirmatione electionis petenda *c. cum ſit. c. cupientes. de elect. in 6.* in anno ad confeſſionem præſcripto *c. 2. c. ſtatuimus. de regular.* &c. Simul igitur illud eſt elapſum, absque vlla ſententiæ prolatione electores negligentes priuantur ipſo iure eligendi facultate, ipſaque deuoluitur ad immediate ſuperiorem, veluti Archiepiſcopum, & eo etiam negligente per tres menſes, gradatim ad ſummum Pontificem. Præterlapſo vero ſæpius memorato tempore, electio vel poſtulatio a capitulo nihilominus facta nullius eſt momenti. *arg. l. 26. de R. I in 6.* Barboſa *allegat. 126. n. 56.* Neque purgatio moræ hoc in caſu admittitur, partim quia elapſo vltimo momento lato canone electio deuoluta eſt ad ſuperiorem, cui hoc ipſo ius eſt quæſitum, quod ſane ipſi iterum aufferretur, ſi per moræ emendationem rediret electio ad negligentes; partim, quia manifeſtum iuris principium eſt, quod vbi dies & pœna a lege vel homine apponuntur, non admittatur purgatio moræ, ſed pœna elapſo die ſta-

Elapſo trimeſtri ſpatio lato canone capitulum priuatur eligendi facultate.

Digitized by Google

ſtatim committatur *l. ad diem 77. ff. de Verb. Obl. l. Traiectitia 23. ff. de Obl. & Act. l. 13. C. de Contrah. ſtip. l. 2. C. de iur. Ephyt.* Conf. Gonzal. *ad c. 5. X. de ſuppl. negl. prel. n. 19.* Iam vero cum in noſtro caſu elapſis tribus menſibus pœna priuationis ſtatim ſequatur, non poteſt per moræ emendationem euitari.

Legitimum vero impedimentum ſiſtit curſum temporis trimeſtris. Quod probatur.

§. XIX. Hocce vero trimeſtre ſpatium legitime impeditis canonicis currere nequit. *c. 41. X. de elect. & el. pot.* ibi: IVSTO IMPEDIMENTO CESSANTE. Et ſic ius eligendi ad ſuperiorem non deuoluitur *c. fin. de elect. c. 1. de ſuppl. neg. in 6.* Cum enim quædam præſcriptio introducta ſit propter negligentiam, & nulla negligentia vel culpa imputari poſſit impedito, iuſta etiam de cauſa præſcriptionis tempus contra impeditum currere nequit *l. 1. §. fin. C. de annal. except. c. prima actione. C. 16. q. 3. c. 1. cap. cum nobis. c. ex transmiſſa X. de præſcript.* Conf. Andr. Gail. *lib. 2. Obſ. 105. n. 5. 6.* Ceſſante ergo cauſa negligentiæ, propter quam introducta fuit priuationis pœna, ceſſare debet ipſa pœna. Iam vero ſatis clare patet, diſpoſitionem Concilii Lateranenſis eſſe introductam vnice in pœnam negligentium, ceu apparet ex *c. 5. X. de conceſſ. præb.* ibi: *cum illa Lateranenſis Concilii conſtitutio contra negligentes* TANTVM *fuerit introducta*, & in *c. dilectus 12. eod.* ibi: *Quod Canon Lateranenſis Concilii ab Alexandro Papa contra negligentes editus*, quod vlterius clariſſime Rubrica *X. de ſupplenda* NEGLIGENTIA *prælatorum* docet. Negligentes autem proprie dicuntur, qui cum potuerunt Epiſcopum eligere, id abſque omni ratione omiſerunt, intra ſtatutum a canonibus tempus; quæ negligentia ſi ceſſat, merito quoque præſcriptio non currit. Alias quidem in Iure Ciuili ſæpe impedimentũ non liberat, quominus ei, qui intra certum tempus quid facere debuerit, præiudicetur, vti videre eſt ex *l. 2. §. fin. in fin. ff. ſi quis caution.* vbi apparet, quod ſi quis ad iudicium venire deſiderans, ab aliquo priuato homine abſque eius dolo detineatur, nihilominus Vlpianus affirmat, exceptionem locum non habere, ac per conſequens temp9, intra quod compare-

Digitized by Google

parere dubuerat, currere, etiamſi legitime impeditus extitiſſet. Ad cuius textus difficultatem tollendam diſtinguendum putant Dd. inter impedimenta a lege impoſita vel ab homine, hoc eſt, inter impedimenta iuris vel facti. Nam ſi quis impeditus ſit a LEGE vel MAGISTRATV, ita vt agere non poſſit, tempus, intra quod agere debebat, non currit, ex eo, quod ſit legitime impeditus; ſi quis vero ab homine PRIVATO impediatur, tunc in eius præiudicium tempus completur, quia tantum eſt impedimentum facti, ſalua reſtitutione. Vid. Grannanieto *in Caten. iurium pag. 345. §. 12.* Sed in hac materia hæc minus nos tangunt, modo adſit iuſtum impedimentum, quia (1) hic ſimpliciter & vnice ius deuolutionis eſt introductum in pœnam negligentium *c. 5. X. de conceſſ. preb.* cum in aliis præſcriptionibus adhuc ſint aliæ cauſæ (2) expreſſe *in c. 41. X. de elect. & elect. pot.* exicitur caſus iuſti impedimenti (3) accidere caſus poteſt, vbi electio nequidem a ſuperiori fieri poſſet ob ſtatũ temporum, ob quem capitulum eligere non potuit, ſi vel maxime ius deuolutionis locum haberet.

Illud autem impedimentum vel afficit perſonam ipſorum eligentium,

§. XX. Impedimentum vero illud legimum vel afficit perſonam ipſorum eligentium, aut perſonam eligendam, ſi nimirum hic viui epiſcopi coadiutor factus ſit cum ſpe ſuccedendi. Priori caſu Zonoras & Balſamon *in c. quoniam diſt. 75.* illud exemplum adducunt, ſi forſan ipſam vrbem electorum barbari occupauerint. Aliam iuſti impedimenti cauſam adducit Honorius III. *in c. 2. de elect. in 5. compil.* hic verbis: *Sane ne quis forte cauſetur capitulum ſancti Iuliani Lemonicen. Diœceſis eligendi ius prepoſitum per decurſum temporis amiſiſſe, nolumus quod tempus lapſum ante conceſſam ſibi eligendi licentiam eis currat, cum conſtitutio, que de huiusmodi lapſu temporis loquitur, contra negligentiæ vitium fuerit promulgata, & hi dici nequeant negligentes, cum non poſſint eligere, preſertim cum ex dilecti fratris N. B. tituli S. Iohannis & Pauli Presbyt. Card. mandato, noſtram vel eius tenerentur licentiam poſtulare.* Emanuel Gonzalez *ad c. 5. X. de ſuppl. negl. n. 13.* ad impedimenta etiam refert excommunicatio-

tionem, quamuis *ibid.* reſpiciendum eſſe dicat, ad hoc, an eligentes per procuratores eligere poſſint in caſu emergentis impedimenti, nec ne? Si neque per ſe, neque per procuratorem eligere poſſint, nec in impedimento facti, nec in impedimento iuris currere illis tempus, ſi autem per ſe aut per procuratorem agere poſſint, currere omnino præſcriptionem. Sed hæc aſſertio ratione genuina deſtituitur. Nam (I) ſi ipſi eligentes excommunicati ſunt, vtique id factum eſſe debuit ob delictum aliquod, & proinde impedimentum illud, quod inde oritur, eſt affectatum & procuratum, cum imputent ſibi, quod per hoc delictum ſibi attraxerint excommunicationem, ſibique ipſis ita per conſequentiam ademerint facultatem eligendi (2) ſi vel per ſe vel per procuratorem eligere poſſunt, non certe impediuntur, ne dicam, hoc ad totum collegium, in quo ſinguli ſeparata habent vota, eſſe inapplicabile, & per procuratorem eligere regulariter eſſe prohibitum. Vid. *c. 42. §. 1. X. de elect.*

Vel perſonam eligendam.

§. XXI. Poſteriori caſu, quando nimirum impedimentum illud legitimum afficit perſonam illius, qui conſtitui Epiſcopus debet, imprimis conſiderandum venit tempus hoſtilitatis, quamuis etiam hoc applicari poſſit ad caſum priorem, ſi eligentes bellum ſentiant. Per tempus igitur hoſtilitatis impediti præſcriptionis rigorem ſentire non debent. *c. ex transmiſſa 10.* ibi: *præſcriptione hoſtilitatis tempore non currente c. 15. X. de præſcript. l. 1. §. fin. C. de annal. except. Auth. niſi tricennale C. de bon. matern.* Iniuſtum quippe foret, vt impeditis imputetur culpa, ſiquidem id, quod volunt, propter impedimentũ iuris adimplere non poſſunt, cumque hoſtilitatis tempore id contingat, merito ſuſpenditur præſcriptio, quo tempore ſublato iterum continuatur. *d. l. 1. §. fin. C. de annal. except.* Applicant hoc impedimentum hoſtilitatis ad ſtatum peſtis, cum argumentum a bello ad peſtem perpetuo valere dicant, quamuis cum gloſſ. *in c. prima actione C. 16. q. 3. & in c. ſi vero X. de iureiur.* illius blaſphemiæ nos participes reddere nolimus, ac ſi tempore peſtis bel-

Digitized by Google

bellum ſit inter Deum & homines. Interim ſicuti de excommunicatis diximus, merito hic quoque reſpiciendum videtur, vtrum conſtituendus epiſcopus in talem belli calamitatem & inde ortum impedimentum, quo minus poſſit cathedram aſcendere, ſua culpa inciderit, nec ne? vt hoc caſu magis ſit adiuuandus, quam priori. Sed inquis: Impedimentum hoſtilitatis ex facto prouenit, ideoque facti eſt, & ſic nec præſcriptio ſuſpendi debet, licet poſtea reſtitutio competat *l. 35. ff. de S. P. R.* Reſpondent: Durante bello ipſo iure quieſcere præſcriptionem, quoniam ius reddi non poteſt, cum cenſeantur feriæ repentinæ. *arg. l. 26. §. 7. ff. ex quib. cauſ. maiori.* Sed illam quidem obiectionem hic applicari poſſe non credo, vbi ſolius negligentiæ ratio habetur. Conf. Anton. Granauieto *cat. iur. pag. 222. n. 4.*

§. XXII. Ex hiſce igitur deductis facile eſt conſpicere, quæ ſit natura ſedis impeditæ? Oritur quippe hæc *primario* ex legitimo impedimento repellente capitulum ab electione vel poſtulatione epiſcopi, alias intra tres menſes peragenda; *ſecundario & ſecundum quid*, ex impedimento tangente perſonam Epiſcopi iam electi, vti in coadiutore perpetuo, vt propter illud impedimentum non poſſit occupare ſedem ei deſignatam, nec capitulum alium loco eius conſtituere, ſed quaſi illa ſucceſſio in epiſcopatum durante impedimento inſuſpenſo eſſe debeat. Terminus vero hic licet ex nouiori demum exiuerit fabrica, res tamen ipſa primis iam tum temporibus nota fuit atque celebrata. Poſt martyrium Fabiani epiſcopi Romani, partim propter defectum perſonarum habilium, partim propter ſæuitiem atq; crudelem perſecutionem, non per breve tempus ſedes epiſcopalis fuit impedita. Sic enim Cyprianus *lib. 2. ep. 7.* *Nam diu vacauit* (eccleſia Romana) *quia propter rerum & temporum difficultates epiſcopus Romanus poſt Fabianum conſtitui non ſtatim poterat.* Vnde interea Cleri erat Romani, usque ad aduentum noui epiſcopi impedimento ceſ-

Nunc enucleatur natura ſedis impeditæ.

Digitized by Google

ſante, inuigilare gregi, quamuis epiſcopus Carthaginenſis ſupra allegatus Cyprianus ſimul ex ardentiſſima charitate & dilectione communi *lib. 5. ep. 5. ab initio* ſat magnam eiusdem curam geſſerit. Collige hoc ex epiſtola eius ad Clerum Romanum quæ *eſt lib. 3. epiſt. 6.* Ita enim ſcribit: *Quanquam ſciam, vos, fratres chariſſimi, literis meis frequenter admonitos eſſe, ut glorioſa voce domino confeſſis & in carcere conſtitutis omnis diligentia præbeatur, tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam deſit iis, quibus ad gloriam nihil deeſt. Atque utinam loci & gradus mei conditio permitteret, ut ipſe nunc præſens eſſe poſſem, promptus & libens, ſolenni miniſterio, cuncta circa fortiſſimos fratres noſtros, dilectionis obſequia complerem, ſed officium meum veſtra diligentia præſentet & faciat omnia ea, quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei, ac virtutis ſuæ illuſtrauit diuina dignatio &c.* Superſedemus alii exemplis theſin noſtram corroborare, cum cuilibet hiſtoriam intuenti plura occurrent.

Definitur ſedes impedita.

§. XXIII. Definimus igitur SEDEM IMPEDITAM a potiori, quod ſit legitime ac iuſte impedita electio vel poſtulatio capitis ſiue epiſcopi, a capitulo alias intra trimeſtre ſpatium pragenda, ita vt propter illud impedimentum emergens ius eligendi non fiat caducum nec deuoluatur ad ſuperiorem, interim tamen penes ipſum capitulũ maneat regimen eccleſiæ diœceſanæ. Fluunt ſingula verba huius definitionis ex antea dictis, adeoque non opus eandem denuo ſub examen reuocare. Hoc ſaltim addimus, quod concilium Chalcedonenſe *c. 25.* relatum *in c. 2. diſt. 75.* etiam ex æquitate naturali impedimenta legitima agnouerit his verbis: *Niſi forte inexcuſabilis neceſſitas coegerit tempus ordinationis amplius protelari.* Quo an aliquid iuſtius, iudicent illi, ſub quorum incude & malleo minutiſſima quæque verſari coguntur. Quod ultimum definionis attinet, quod ſc. interim apud capitulum poteſtas uniuerſalis circe regimen eccleſiæ maneat, ſupra iamtum eſt euictum, & capitibus

tibus ſequentibus etiam adhuc demonſtrabitur. Breuibus tamen hic aſſerimus: Capitulo ſede impedita non ſolum competere iura ſedis vacantiæ, ſed etiam quandoque plura & maiora. Totus enim titulus decretalium, *Ne ſede vacante aliquid innouetur*, exceptionem patitur in caſu ſedis impeditæ, imprimis ſi impedimentum nimium duret ac extendatur. Facile enim quædam capitulo ſede vacante eripi ac ſoli epiſcopo reſervari potuerunt, cum canones certum tempus nimirum trimeſtre ad eligendum præfixerint, adeoque intra tam breve ſpatium per caſus epiſcopore ſeruatos eccleſiæ præiudicium contingere non poſſe arbitrati ſunt; ſed quia ſedi impeditæ incertus plane & vagus imminet terminus *ad quem*, & forte per aliquot annos durare poteſt, merito aliud dicendum videtur, quæ in ſequentibus capitibus plenius excutientur. Quod ſi vero *ſedem impeditam* ſecundum quid definiri velis, illa erit nihil aliud, quam *deſignati iam Epiſcopi, ob iuſta empedimenta, ſucceſſio ſuſpenſa, efficiens, vt penes capitulum interim ſit cura Eccleſiæ cathedralis indeq; dependentium iurium, eodem fere modo, ac ſi ſedes eſſet vacans.*

§. XXIV. Differt autem ſedes impedita priorem in modum accepta à ſedis vacantia (1) Quod hæc ad certum tempus ſit reſtricta nim. 3. menſes, illa vero nullo ſit incluſa tempore, ſed ſemper, durante illo impedimento, etiam duret. (2) ſede vacante capitulum canonicorum pro lubitu & quandocunque vult, intra tres menſes ad electionem procedere poteſt, ſed ſede imperita per rerum naturam nonniſi impedimento ceſſante (3) Sede vacante tres illi menſes a tempore eo, quo mors epiſcopi capitulo innotuit, currunt, ſed ſede impedita trimeſtre ſpatium currit demũ ceſſante impedimento: quamuis ſi illud impedimentum non ſtatim ab initio adſit, ſed ſaltim ſuperueniat, tempus impedimenti quieſcat, & illa tempora, quæ ante & poſt illud impedimentum extiterunt, connumerentur, quæ (4) ſi tres menſes efficiant, & interea eccleſiæ de capite *Differentia inter ſedem impeditam & ſedem vacantem.*

&-

& paſtore non ſit proſpectum, ius deuolutiuum habet locum, ſed ſede vacante ius eligendi ad ſuperiorem deuoluitur, elapſis tribus menſibus, a tempore notitiæ ſedis vacantis computatis (5) Sedes impedita plura iura capitulo tribuit, quam ſedes vacans, cum impedimentum poſſit diutius durare, & ſic neceſſitas ſæpe capitulo iura interim largiatur, quæ intra tam breue tempus ſedis vacantis emergere vix poteſt. Differentias plures ſuppeditare nolumus, cum per ſe ſatis pateſcant & ex natura rei profluant.

Differentia vlterius demonſtrantur.

§. XXV. Sedes autem impedita *ſecundum quid talis*, prout ſupra definita, videtur magis differre a ſede impedita ſtricte dicta. Hic enim reuera ſedes vacat, dum nullus adhuc eſt deſignatus futurus ſucceſſor, ſed adhuc eligendus: aſt iſtic & in ſede ita impedita ſtricto iure non videtur vacare ſedes, cum iam adſit epiſcopus, a pontifice confirmatus, qui tantũ impeditur aſcendere ſolium epiſcopale. Vnde forſan dubium eſſe poſſet, an & quatenus interim capitulo eadem poteſtas attribui poſſet, quæ ſedi in totum vacanti competit, & an capitulum adhuc iura omnia exercere poſſit *Iure proprio*, quæ ſedes vacans? Sed reiiciendam hanc quæſtionem duxi ad caput ſequens. Deinde in hoc caſu cum iam epiſcopus adſit ſucceſſor futurus, caſus de ſupplenda negligentia exiſtere nequit, qui in ſedis vacantia ſeſe exſerere poteſt. In eo tamen conueniunt & ſedes vacans & ſedes impedita vtriusque generis, quod capitulum interim merito ſibi adminiſtrationem ſedis vindicare poſſit. quo iure? in ſequentibus docebitur

CAP. II.

Digitized by Google

CAPVT II.
DE
OFFICIO CAPITVLI SEDE IMPEDITA.

§. I.

QVemadmodũ in antecedentibus natura ſedis impeditæ,quæque eo ſpectant,ſatis ſunt excuſſa, ita ratio methodi exigit, vt in ſpecie iura capitulo tempore ſedis impeditæ competentia pertractentur, ac, quoad fieri poteſt, excutiantur. Prima vero iurisprudentiæ principia perluſtranti ignotum eſſe haud poteſt, vocabulũ *iuris* in duplicem cadere conſiderationem,ita vt *vel* præſcriptam normam deſignet, ſecundum quam actiones conformari debeant,& legem, quæ alteri nonniſi ſtrictam parendi gloriam relinquat,*vel* facultatem quandam moralem,conſiſtentem in eo, quod quis facere poſſit,& auguſtiorem tribuentem poteſtatem. Cuius duplicis acceptionis poſterior ſub voce POTESTATIS *capite tertio* illuſtrabitur, prior vero *præſenti capite* OFFICII vocabulo eſt inſignita. Quædam enim capitulum libere facit,vel ſaltim de eius poteſtate quæritur,an talia facere poſſit: quædam neceſſario facere debet.& hæc ad officium eius referuntur. Non quidem diffiteor,pleroſque caſus ex poteſtate fluentes interdum, & inprimis tempore neceſſitatis induere naturam officii; aſt tamen, cum hoc non admodum ſæpius contingat, celebriores tantum quæſtiones præſenti capite attingere volui. *Connexio cum capite præcedenti & ſequenti.*

§. II. Ante omnia vero præiudicialis videtur diſcutienda quæſtio: quo iure *capitulum ſede impedita iura exerceat*, *an proprio*, *an vero nudo adminiſtratorio nomine*? Canoniſtas certe hic fluctuare deprehendi, imprimis hi,qui in epiſcopali dignitate fuerunt conſtituti, vix amplius quam adminiſtrationem nudam videntur capitulo adſcripſiſſe. vid. Fermoſin. *de poteſt. capit.* *Diſcutitur quæſtio: An capitulum iure proprio iura exerceat, an adminiſtratorio.*

Digitized by Google

capit. ſed. vacante p. 78. & Grananieto *pag. 347.* Vt vero hæc quæſtio recte explicetur, inquirendum, quid ſit *proprio iure* agere, & quid *adminiſtratorio*. *Proprio iure* agere dicuntur, qui poteſtatem exercent ex nullius beneficio, aut commiſſione, ſed vel vi officii, vel ex legis vel Canonis conceſſione. Et ita Epiſcopi iura proprio iure exercent vi ſcilicet officii, quod gerunt. *Adminiſtratorio* autem nomine agere dicuntur, qui alieno ex beneficio & commiſſione aliquid agunt, & alterius nomine omnia expediunt, ius autem proprium nullum habent, quales ſunt *vicarii*, qui ab Epiſcopis conſtituti ſunt. Hiſce præſuppoſitis facile apparet, capitulo non poſſe vnice nudam adminiſtrationem adſcribi, quippe quod ex nullius beneficio agit, ex nullius commiſſione adminiſtrat, ſed virtute legis ſeu canonis omnia, quæ agit, expedit. Neque aliud dicerem, ſi quis inſtaret, hanc adminiſtrationem ei competere ex canonum diſpoſitione: nam ſic nihilominus exercet poteſtatem ſuam iure proprio, ſicuti Epiſcopus, cui Canones adminiſtrationem eccleſiæ Cathedralis commiſerunt: Quamuis, quod non diffiteor, non eadem capitulum gaudeat libertate, qua Epiſcopus, præſertim in eis, quæ futuro Epiſcopi reſeruanda ſunt. Ratio quoque ſuggerit, capitulum per electionem in electum nomine eccleſiæ tantum transferre iuris, quantum Canones ei tribuunt, mortuo autem electo omnia iura reſidere penes illos, qui interim regimini eccleſiaſtico præſunt. Imo licet lex ipſa obligauerit eligentes ad iura in electum transferenda, diutius tamen apud electum perſiſtere nequeunt, quam quousque viuit. Decedente vero electo vbi manent? Certe cogitationes vertas quo velis, nihil tamen aliud euinces, quam iura interim ſolitarie penes illud collegium eſſe debere, quod Epiſcopus, caput collegii, dum viueret in adminiſtrationem regiminis eccleſiaſtici vocare debuit. Vnde non infrequens eſt in iure Canonico, capitulum vocari *Senatum Eccleſiaſticum*. Quod itaque proprio iure ad regimen eccleſiæ concurrit, viuente epiſco-

Digitized by Google

piſcopo, illud proprio iure habebit regimen Eccleſiæ ſolitarie mortuo epiſcopo, vel impedimento iuſto interueniente, quominus ſibi poſſit alium conſtituere epiſcopum. Vt taceam: Naturale eſſe, vt cura eccleſiæ, quæ ſecundum antiquiſſimam praxin, vti *capite præcedenti* oſtenſum, apud collegium Canonicorum abſque capite fuit, iam electo capite, ſed mortuo, iterum ad collegium tranſeat.

§. III. Deinde, in iure Canonico inſignes adſcribuntur capitulo effectus, qui ſatis abunde teſtantur de ſua cauſa, ita quidem, vt adminiſtratio capitulo competere debeat, non *iure alieno* ſiue adminiſtratorio, ſed *proprio.* Sic capitulum ſtatuta condit *c. cum omnes 6. de conſtit.* Præbendas confert *c. vn. ne ſed. vac. aliq. inn. in 6.* ab excommunicatione, a qua epiſcopus abſoluere debebat, abſoluit *c. vn. de maior. & obed. in 6.* electionem vel confirmat prout de iure fuerit, vel infirmat *c. cum olim 14. X. de maior. & obed.* vtitur cenſura interdicti *c. bis quan. X. de maior. & obed. &c.* Quis vero dicere vellet, hæc omnia & alia plura ſapere partum nudæ adminiſtrationis? Conſtat quidem alias, quod omnes fructus capitulum epiſcopo futuro reſeruare teneatur *c. 4. X. de offic. iud. ordin. c. 40. de elect. in 6.* verũ hoc non indicat naturam nudæ adminiſtrationis in omnibus, cum canon hoc ipſo tantum capituli ius modificauerit & in quibusdam eius poteſtatem reſtrinxerit, ne futuro Epiſcopo nimium noceretur per regimen Capituli. Interim tamen, ne ſic quidem alieno nomine agere dici poteſt, vel vicariam tantum ſuſtinere poteſtatem, quamuis eo ipſo, quo capitulo poteſtatem agendi iure proprio adſcribimus, omnimodam libertatem agendi ei non concedamus, ſed canonibus attemperatam.

Probatur, vlterius ex iure Canonico.

§. IV. Ad maiorem tamen hactenus dictorum dilucidationem diſtinguo: Aut ſedes illa impedita concurrit ſimul cum ſedis vacantia, & ita eſt *proprie* talis, iuxta ea ſc. quæ *capite præ-*

Diſtinguitur tamen inter ſedem impe-

Digitized by Google

ditam proprie & vere talem & ſecundum quid?

cedenti ediſſerui; Aut iam ſupponit electionem vel poſtulationem factam, atque ita *ſecundum quid* talis eſt. Priori caſu impedimentũ iuſtum, quod eligentes ab electione repellit, facit quo minus temp9, alias electioni præſtiturum, currere poſſit, & cum duret vacantia, durant quoq; iura capitulo competentia, ne dicam impedimentum illud legitimum adhuc maiora capitulo conciliare iura, vti *cap. præced.* oſtenſum, & de ſingulis caſib9 hinc inde ſuo loco oſtendetur. Poſteriori caſu iam adeſt epiſcopus electus vel poſtulatus, qui tamen tantũ impeditur, quo minus poſſit epiſcopatum occupare, adeoq; cum capitulũ ſe iam tum ſuo iure eligendi epiſcopum, vel ſede vacante iure proprio regimen eccleſiæ adminiſtrandi, abdicauerit, nomine epiſcopi nudo adminiſtrationis onere contentum eſſe debet. Modo epiſcopus iam habeat ius in re, quod in electione nanciſcitur ſtatim poſt eam in poſtulatione vero, ſi acceſſit confirmatio Pontificis. Sed hæc poſterior acceptio huius loci proprie non eſt. Interim tamen ad hanc vulgarem & plane impropriam ſpeciem ſedis impeditæ etiam refertur, ſi epiſcopus profiſcatur & per longam abſentiam emaneat, qua de cauſa capitulum ſubintrat vices epiſcopi in adminiſtratione iuſtitiæ. Vid. Bonif. *in Clem. vn. §. volumus q. 5. de foro compet.* Quamuis ſi reuertatur epiſcopus, iterum priora iura recipiat. Item ſi epiſcopus captus ſit a paganis vel ſchismaticis vel ab hereticis, capitulum interim habet exercitium loco epiſcopi, quouſque captiuitas perſeuerat *c. ſi epiſcopus 3. de ſuppl. negl. in 6.* & gloſſa *ibi ad voc. paganis.* Sed quid ſi epiſcopus abſens reliquerit vicarium, hic vero durante abſentia epiſcopi moriatur? Certe hoc caſu quaſi deſtituta paſtore, imo quaſi vidua & orphana diœceſis videtur, adeoque capitulum interea intrat iura epiſcopi, vt docent Canoniſtæ, Vid. Quaranta *in ſumma Bullarii verb. Authoritas Archiepiſcopi n. 22.* Cardinalis Zarabella *in clem. vni c. de offic. Vic. n. 17.* Proſper de Auguſta *ibid. Verbo. capitulum. n. 12.* referentes in caſus contingentia ſeruatum fuiſſe in Neapolitano

no

no Archiepiſcopatu, tempore eo, quo Annibal de Capua Archiepiſcopus Neapolitanus exiſtebat in Polonia legatus ſummi Pontificis. Hiſce itaque in caſibus, quia reuera nulla ſedis adeſt vacantia, capitulum magis iure alieno agit, quam proprio, quia omnia vice epiſcopi impediti expedit, vnde ſine dubio illi ad rationes reddendas obſtringitur.

§. V. Grauior inſpectio eſt, quid de coadiutore cum futura ſucceſſione conſtituto, mortuo principali, ſit habendum? Equidem ſupra iam dictum eſt, in irregulari coadiutoria quaſi anticipari electionem, nondum etiam vacante ſede, quæ plenum robur accipit vacante ſede; quodſi tamen poſt mortem epiſcopi coadiuuandi tales caſus interueniant, qui quodammodo dubiam coadiutoris ſucceſſionem facere, vel ſaltim ob iuſtiſſimas rationes ſuſpendere poſſunt, ne ſtatim in actũ deducatur, oritur inde *ex accidenti* quædam quaſi ſedis vacantia ex duplici ratione: dum coadiutoris ſucceſſio ob impedimentum interueniens adhuc in ſuſpenſo manet, & capitulum interim nec coadiutorem admittere, nec ad aliam progredi electionem poteſt. Et ſic noua adeſt ſedis impeditæ facies. Suppoſito itaque tali caſu, capitulo eadem competunt iura, quæ ipſi attribuuntur in caſu, ſi ſimul cum ſede impedita concurrit vera ſedis vacantia, proprioque iure poteſtatem ſuam exercet. Neque obſtat: Iamtum adeſſe epiſcopum a Pontifice confirmatũ, cuius potius nomine adminiſtrare videretur capitulum. Nam manet adhuc, vt dictum, in ſuſpenſo ſucceſſio, nec alia antea ſeſe exſerit, donec impedimentum iuſtum fuerit remotũ, ob quod in ſuſpenſo ſucceſſio hactenus fuit, ergo eius nomine non poteſt dici agere, de cuius ſucceſſione adhuc multa ſuperſunt dubia; adhuc enim multa interuenire poſſunt, quæ coadiutoriam reddat inutilem. Nec ſecundo obſtat, quod capitulum per deſignationẽ coadiutoris ſe ſuo iure in futurũ abdicauerit; ſub omni enim clauſula intelligitur: *Rebus ſic ſtantibus*, & dum ſuperuenit impedimentum, quod viuente epiſcopo præuideri non

Reſoluitur dubium de coadiutore.

Digitized by Google

tuit, impeditur quoque tranſlatio iuris tamdiu, quamdiu illud impedimentum, cuius finis eſt incertus, non euanuit. Viuente enim epiſcopo nullum ius in coadiutorem transferri potuit, vtpote quod adhuc reſedit apud Epiſcopum. Plane, ſi Pontifex ipſe caſum, quando coadiutor perpetuus cathedram propter legitimum impedimentum apprehendere nequit, pro *ſede impedita* declarat, quis dubitare vellet, capitulo idem incumbere officium v. g. conſtituendo œconomum, vicarium &c. eademque competere iura, quæ, ſi ſimul adeſſet proprie dicta ſedis vacantia, ipſi competunt?

Officium capituli conſiſtit inprimis in conſtitutione & oeconomi & vicarii.

§. VI. Hiſce prælibatis ad officium capituli tranſitum facio, quod primo conſiſtit *in conſtitutione œconomi & vicarii* iuxta decretum concilii Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 16.* hiſce verbis: *capitulum ſede vacante* (eadem imo maior ratio ſedis impeditæ) *ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum vnum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum eccleſiaſticarum & prouentuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. Item officialem ſeu vicarum infra* (alii legunt: *intra*) *octo dies poſt mortem epiſcopi conſtituere vel exiſtentem confirmare omnino teneantur, qui ſaltim in iure Canonico ſit Doctor vel Licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: ſi ſecus factum fuerit, ad metrapolitanum deputatio huiusmodi deuoluatur* &c. Diſquiri hic poſſet; vtrum poſt illos octo dies purgatio moræ locum habeat? Quod affirmandum puto eo caſu, ſi nullius negligentiæ capitulũ argui poſſit. Sicut enim ex ſubſequentibus, imo ex toto contextu *capitis 16. all.* apparet, quod deuolutio fiat ad eum effectum, vt poſſit ſuppleri negligentia capituli, vbi autem capitulum v. g. primis illis octo diebus in aliis nimis eſſet occupatum, negligentiam ipſi imputare haud poteris. Sed quid ſi vicarius capituli creetur ad certos dies vel menſes, vtrumne illa nominatio ſuſtinebitur pro illis tantum, ita vt ipſis tranſactis expiret iurisdictio Vicarii ipſo iure, abſque capituli declaratione? Quod affirmandum videtur, cum enim

pos-

Digitized by Google

poſſit capitulum in commiſſione, quam præſtat ſuo vicario, illi præfigere tempus & modum procedendi, propterea quod dependeat ab ipſo capitulo, in cuius eſt poteſtate illam ampliare, limitare; totaque iurisdictio ita reſideat in capitulo principaliter. Pauin. *de capitul. ſed. vacan. p. 2. q. 10. n. 6.* Ideo optimo iure dicendum puto, eo transacto tempore per capitulũ aſſignato, vicarii iurisdictonem ipſo iure exſpirare. Vid. Nicol. Garcia *de beneſ. part. 5. c. 7. n. 37.* Ceterum vt omnes actus Vicarius exercere poſſit, non ſufficit generalis nominatio, niſi etiam ſpecialiter exprimantur illi caſus, qui ſpecialem requirunt expreſſionem. Dum enim iurisdictio vicarii nominati a capitulo ſimillima eſt ei, quæ conceditur Vicario epiſcopi, uti probat Sbrozius *de Vicario epiſc. l. 2. q. 41. n. 5.* Imo vicarius iſte ſæpius promiſcue capitur pro epiſcopi vicario: Epiſcopus vero eligendo ſibi vicarium, in illum non transferre poteſt ex generali commiſſione caſus, qui requirunt ſpeciale mandatum, uti exemplum occurrit in Concilio Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 6.* ita nec in vicarium capituli poteſtas faciendi ea, quæ indigent ſpeciali delegatione, tranſit. Garcia *de beneſ. p. 5. c. 7. n. 29.* Adeſt quidem adhuc differentia intra vicariũ capituli & epiſcopi, dum capitulum ex neceſſitate intra octo dies, poſt mortem epiſcopi, nominare vicarium debet, epiſcopo vero liberum eſt eligere an & quandocunque velit; verum hæc defferentia quidem huc non ſpectat. Nam Concilium Tr. hoc ipſo tantum & unice modum eligendi voluit præcipere & præfigere, quo melius litium & negotiorum expeditioni conſuleretur, non vero deſignare poteſtatem vicariis competentem, quam iuris communis diſpoſitioni reliquit.

§. VII. Ex hisce prono alueo fluit, capitulum in ipſa conſtitutione Vicarii ipſi coarctare iurisdictionem circa certos caſus, ſibique quædam reſeruare poſſe, præprimis cum Vicarius omnino dependeat a capitulo, & hæc reſeruatio nullibi in concilio Tridentino prohibita reperiatur. Ex quo etiam vlte-

Capitulum Vicario iurisdictionem coarctare poteſt.

vlterius fluit, Vicarium nominatum a capitulo ſibi non poſſe ſubſtituere alium,qui loco ipſius exerceat vicariatus officium, cum capituli electio præciſe eius perſonam, induſtriam, morumque probitatem reſpexerit. Si tamen vrgens & magna adeſſet cauſa, ad modicum tempus fieri poſſet ſubſtitutio, vel ſi haberet Vicarius mandatum ſpeciale a capitulo,ut poſſit alium ſubſtituere, cum clauſula: *Quem ex nunc prout ex tunc ſubſtituimus*, etiam aliud dicendum videretur. Id certe minus dubii habet, cum conſenſu ſui capituli vicarium in infirmitate vel alio legitimo impedimento detentum, cauſas pendentes alteri delegare poſſe. Vid. Rodriquez Fermoſinus *de poteſt. cap. ſed. vac. tract. 1. qu. 9. n. 8. ſeqq.* Æquum vero eſt ut huic vicario provideatur de competenti ſalario, prout cenſuit ſacra congregatio ſub die 15. Octobris 1601. referente Barboſa *de connic. c. 42. n. 25.* Vid. *clem. ſtatutum de elect.* ibique gloſſa, quæ docet,quod Vicarius capitularis habere debeat ſalarium ex bonis eccleſiæ. Nemo enim tenetur ſuis ſtipendiis militari. *c. cum ex officii 16. X. de praſc.* etiamſi Vicarius ſit Canonicus, vel de gremio ipſius eccleſiæ, quia illud ſalarium eſt pro labore, quem exercet.

Demonſtratur differentia inter vicarium ſedis impedita & vacantis.

§. VIII. Differt vero Vicarius *ſedis impedita* a Vicario *ſedis vacantis*, quod illius officium & dignitas duret, durante illo impedimento, huius vero elapſis tribus menſibus ſtatim expiret ac extinguatur. Hinc ſede vacante regulariter tantum vnus conſtitui ſolet Vicarius *per text. concil. Trident. all.* ſed ſede impedita, ſi ſe nimio labore oneratum ſentit Vicarius, cui oneri per totum impedimentum ſe haud ſufficere putat, a Capitulo alius ipſi adiungi poteſt,vt vel communibus viribus indiuiſim ſe inuicem ſuffulciant, vel diuiſim vnus cognoſcat de temporalibus,alter de ſpiritualibus. Et cum ſedis vacantia non adeo diu duret, ſed tantum per tres menſes, hinc octo dies ipſi præfixi ſunt poſt mortem Epiſcopi, intra quos eligant vicarium. Cum vero impedimentum in ſede impedi-

ta

Digitized by Google

ta longius durare poſſit, dubitari forſan poſſet, vtrum capitulum præciſe ad terminum hunc adſtringeretur? Deinde Vicario ſede vacante pro tota adminiſtratione überhaupt vna vice ſalarium conſtitui ſolet, ſed ſede impedita propter maiorem laborem augeri debet ſalarium, imo ſi impedimentum nimium extendatur ac duret, certum menſtruum vel annale conſtitui poteſt. Vicarius ſede vacante capitulo & futuro Epiſcopo ad rationes reddendas tenetur per concilium Trid. *ſeſſ. 24. de reform. c. 16.* ſed in vicario ſede impedita conſtituto eſt plane diuerſa ratio: Quod enim Vicarius ſede vacante Capitulo & futuro Epiſcopo rationes reddere debeat, eam habet rationem, quod adminiſtratio vicarii ſit ad breue reſtricta tempus, vbi interim alii reddi vix poſſunt rationes, ſed mox electus Epiſcopus, ob intereſſe manifeſtum, quod habet, merito concurrere debet circa rationes reddendas. Sed ſede impedita reddendarum rationum neceſſitas non ſemper tamdiu ſuſpendi & differri poteſt, donec epiſcopus nouus eligatur, adeoque ex regulis prudentiæ penes capitulum erit, ſaltim quotannis a Vicario rationes exigere, ne, ſi impedimentum diutius duret, interim vicario detur occaſio, in præiudicium Eccleſiæ & futuri Epiſcopi, magis bona eccleſiaſtica negligendi, quam legitime adminiſtrandi: Interim tamen ſecundum Concil. Trid. *l. cit.* Epiſcopo futuro non erit ademta libertas retractandi ex iuſta cauſa rationes, licet œconomus vel vicarius redditis rationibus a capitulo liberationem obtinuerit.

Alterum officium capituli conſiſtit in cura, ne in præiudicium futuri Epiſcopi aliquid fiat.

§. IX. Alterum officium principale capituli conſiſtit in eo, *ne ſede vacante vel impedita aliquid faciat, quod in præiudicium futuri epiſcopi vergere poſſit* iuxta *tit. X. ne ſed. vac. aliquid innou.* Exemplum occurrit in *c. 1. X. Ne ſede vac.* ubi Innocentius III. vnionis Bathonienſis Epiſcopatus cum abbatia Glaſtonienſi factæ a Cœleſtino III quam defuncto Sauerico Epiſcopo Bathonienſi, monachi abbatiæ Glaſtonienſis iterũ reſcindi petebant, diſſo-

E

diſſolutionem denegabat, ex ratione, quod *ſede vacante non debeat aliquid innouari*,&*maxime*,ne plus fauiſſe perſonæ quam eccleſiæ Pontifex videretur. Sed videamus, an hæc conſtitutio, quod ſc. ſede vacante eccleſiæ vnitæ diſſolui nequeant, poſſit etiam trahi ad ſedem impeditam? Primariam rationem prohibitionis, vt indicat vocula *præſertim* (vel vt aliæ editiones habent, *maxime*,) Pontifex in eo collocat, *ne plus fauiſſe perſonæ quam eccleſiæ videretur, ſi quod eo viuente conceſſit, poſt obitum eius ſubito mutaret.* Ad cuius rationis intellectum hiſtoriam breuibus oppono. Cum monaſterium Glaſtonienſe, cujus reditus conſtabant ex triginta mille libris, (ex quibus alebantur 400. homines, qui degebant in ipſo monaſterio,& hoſpitabantur alii plures nobiles, ſingulisque hebdomadibus amplæ erogabantur eleemoſynæ in pauperes illius ditionis) conquereretur, per vnionem factam a Cæleſtino III. cum Epiſcop. Bathon. ceſſare prædictas eleemoſynas, nec non hoſpitalitatem: Richardus I. rex Angliæ dictam abbatiam Sauerico epiſcopo Bathonienſi erupuit & cuidam Wilhelmo dedit, qui eam, quamdiu vixit Rex, pacifice poſſedit; eo tamen defuncto, Sauericus illam repetebat, virtute vnionis factæ a Cœleſtino, & obtinuit confirmationem ab Innocentio III. Defuncto tamen Sauerico adhuc monachi inſtabant coram eodem Innocentio III. pro reſciſſione vnionis, plenam ſui cœnobii reſtitutionem petentes. Sed Innocentius eos audiendos non eſſe decreuit, quia ſi, defuncto Sauerico, monaſterio concederet, quod, eo viuo, denegauerat, videretur Pontifex plus fauiſſe Sauerico quam eccleſiæ, imo inconſtantiæ maculam incurreret. Hic varo caſus, cum ſit admodum particularis, &, vt ego arbitror, vix iisdem circumſtantiis occurrens, ad caſum ſedis impeditæ non facile trahi poſſe videtur. Deinde altera ratio, vel potius color, primariæ rationi in præſenti facti ſpecie adiectus, conſiſtit in eo, *Ne ſede epiſcopali vacante aliquid innouetur*, reſpectumque tantum habet ad ſedem vacantem

Digitized by Google

cantem, breui tempore vero nouo Epiſcopo gaudentem, intra quod tempus facile hæc controuerſia differri potuit, & futuro epiſcopo iuſta exceptio vel defenſio reſeruari. Aſt in ſede impedita, contingere poteſt, vt Epiſcopus non tam cito ſperetur, vbi ſæpe poſſet graue damnum altera eccleſia interim incurrere, ſi quæſtio de unione diſſoluenda differretur, uſque dum nouus eligeretur Epiſcopus.

§. X. Aliud exemplum reperitur in *c. 2. eod.* (iungatur *c. un. §. 1. in 6. & c. 1. de inſtit. in 6.*) vbi cauetur, ne capitulum ſede vacante beneficia, quæ vel ex iure vel aliunde ad liberam collationem ſolius epiſcopi ſpectant, conferat. Ratio aſſignatur in textu, *quod nuſpiam in iure cautum reperiatur, capitulum fungi vice Epiſcopi, in collationibus præbendarum.* Dum enim hæ collationes inter fructus epiſcopi futuri connumerantur, fructus vero futuro epiſcopo integri reſeruari debent, etiam hæ collationes, vti ſtatuit tota canoniſtarum cohors, epiſcopo eripi non poſſunt, Altera *in cit. cap.* & ſecundaria ratio eſt, *quod eo caſu, ſc. ſede vacante, non poſſit dici poteſtas conferendi præbendas ad capitulum per epiſcopi negligentiam deuoluta, cum non ſit ibi ſuperior, qui eas poſſit conferre.* Si nunc quæramus, an etiam ſede impedita capitulum a collatione beneficiorum, ad epiſcopum ſpectantium, hoc canone repellatur, quæſtio hæc videri poſſet Domitiana, dum primo intuitu utraque ratio etiam hic ſibi locum poſcat, neque hoc caſu negligentia epiſcopi, qui nondum eſt electus, accuſari poſſit. Sed perpende cauſam, quæ Pontificem ad hunc canonem induxerit & præmaturum iudicium mutabis. Scilicet Honorius III. Magiſtrum R. Decanum Teanen tanta proſequebatur gratia, vt, quemadmodum Pontifex ipſe loquitur, iuxta editionem Gonzalezii, (qui hunc textum ſuæ integritati reſtituit) eum pro ſua ſcientia ac probitate geſſerit in viſceribus charitatis, ipſique denegare noluerit, quæ ſecundum Deum fuerit concedenda. Quare eccleſiam ſancti Leucini

Interpretatio textus in c. 2. X. Ne ſede vacante.

Digitized by Google

de Capua cum omnibus pertinentiis ſuis præbendæ nomine a Capuano Archiepiſcopo Decano Teanenſi conceſſam confirmauit Pontifex, non obſtante conceſſione capituli, facta de ipſa eccleſia Roberto de Franco canonico Capuano. Inuenio hic: Pontificem præ nimio affectu erga Magiſtrum R. hæc ſtatuiſſe & capitulo conceſſionem præbendæ eripuiſſe, ex ratione, quod nuſquam inuenitur id cautum in iure. Hinc bene Canoniſtæ reſtringunt hoc ad eum caſum, vbi beneficii collatio ad ſoli9 epicopi nutum ſpectat de iure vel conſuetudine; Interim tamen cum Pontifex ſedis vacantis mentionem fecerit, ad eamque reſpexerit, tolerari deciſio poteſt. Putauit quippe, capitulum præciſe ſub pœna priuationis adſtrictum eſſe, vt intra trimeſtre ſpatium Caput eligeret, adeoque in tam anguſto temporis ſpatio, ſi capitulo adimeretur facultas deſignandi Beneficiatum, cuius nominatio ad epiſcopum pertineret, eccleſiam, quæ in præbendam datur, non æque periclitari poſſe, cum præterea capitulum beneficia ad tempus commendare poſſit, usque dum nouus epiſcopus eligatur. Sed hoc ad ſedem impeditam applicari nequit, quippe vbi impedimentum non per tres menſes, ſed ſæpius ultra tres & plures annos durare poteſt. Si vero tamdiu eccleſia præbendata deſtituta paſtore eſſe deberet, magnum exinde ipſi naſceretur præiudicium, cuius cauſam dediſſet canon, quod tamen ne quidem præſumendum, ergo nec ſtatuendum, ipſum ſuam diſpoſitionem ad ſedem impeditam trahere voluiſſe, ſuppoſito imprimis tali caſu, vbi beneficium vacans non niſi cum ſummo alicuius Eccleſiæ detrimento vacare diutius poteſt, v. c. ſi beneficium eſſet curatum &c.

Reſoluuntur dubia. §. XI. Non obſtat, quod capitulum hoc in caſu quoque beneficium commendare poſſit. Reſpondeo enim (1) Conductitium non tanta cura tantoque labore oues paſcere quam verum paſtorem, imprimis cum nimius tractus temporis faſtidium & tædium conciliet, (2) Nullo textu capitulum ad com-

commendas eſſe adſtrictum, adeoque in eius libero eſſe arbitrio, velitne hoc ipſo gratificari futuro epiſcopo (præſertim ſi hic cauſam impedimenti præbeat, ex quo ſimul altera ratio textus, quod ſc. non adſit negligentia epiſcopi, hic ſuam exceptionem patitur) nec ne? Quamuis non negem, quod, quia per regulam ſecundam Cancellariæ Apoſtolicæ beneficia omnia ad collationem epiſcoporum ſpectantia, quæ ſede vacante conferri debent, communiter ſibi reſeruarunt Pontifices, capitulo eo ipſo ademta ſit poteſtas, ſede vacante conferendi beneficia, ad collationem epiſcopi ſpectantia, quod ius ademtum tamen non extenditur ad collationem cum alio, vel aliis, nec etiam ad illam, quæ ad alterius præſentationem vel electionem peragitur. Wagnereck. ad *c. 2. X. Ne ſed. vac. not. 3. usque ad 6.* Imo an hæc regulæ cancellariæ Apoſtolicæ diſpoſitio etiam ad ſedem impeditam trahi poſſit, dubito, quia Pontifex hoc non expreſſit, adeoque ius commune obtinet, quod ad capitulum collationes deuoluit.

§. XII. Tertium caſum ſibi interpretes inueniſſe fingunt in *c. 3. eod.* vbi vniuerſa Canoniſtarum turba ſtatuit, quod hoc textu prohibeatur, ne capitulum poſſit iudicium, etiamſi cũ defuncto cœptum, ſuo Marte proſequi ſede vacante? Hinc inferunt, alias iudicium contra eccleſiam habitum eſſe nullũ Valenſ. *h. t. n. 2.* adeoque depoſitiones teſtium eccleſia vacante contra eam receptas eſſe reprobandas Link. *ad Decret. h. §. 2.* Sed inſpiciamus textum ipſum in *d. c. 3. X. ne ſed. Vac.* Ibi ad Pontificem Honorium III. iuxta editionem Cironii ex quinta compilatione Hon. III. *h. t. c. 2.* cauſa, (quæ inter epiſcopum Burgenſem & clericos eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Caſtro Sororum ſuper iure eligendi proprium prælatum, quam eligere intendebat epiſcopus Burgenſis, tractabatur. Conf. omnino verba Innoc. III *lib. 1. regeſtr. c. 13. epiſt. 91. & c. 49. X. de teſtibus*) poſtquam lis coram ipſius prædeceſſore legitime eſſet conteſtata, & poſtea coram iudicibus delegatis factæ eſſent confeſ-

Diluitur textus in c. 3. X. ne ſede vac.

Digitized by Google

ſiones & recepti teſtes, ad Pontificem, inquam, inſtructa cauſa fuit remiſſa. Procuratoribus autem partium in Pontificis præſentia conſtitutis, cum ſuper præmiſſis coram eodem diutius litigaſſent, Pontifex diligenter hinc inde propoſitis & rationibus partium plenius intellectis, reprobatis *quibusdam* depoſitionibus teſtium, qui vacante Burgenſi eccleſia & carente legitimo defenſore fuerunt *minus iuſte* recepti, procuratorem Maurini epiſcopi Burgenſis ab impetitione alterius partis ſententialiter duxit abſoluendum, quæſtione proprietatis parti utrilibet reſeruata. Ex hac igitur Hiſtoria ſi depromitur occaſio & ratio legis, (quæ ſemper attendi debent,) noua reſultat deciſio.Non vero Pontifex præcipit,quod capitulum nequeat ſede vacante proceſſum proſequi, nec dicit,iudicium contra eccleſiam habitum eſſe nullum, nec depoſitiones teſtium eſſe reprobandas, ſed tantum & vnice narrat, quod ipſe *quasdam* depoſitinnes teſtium reprobauerit, ex eo, quod illi teſtes ante *minus iuſte* erant recepti. Et recte! Hoc enim alias eſt iuris communis, adeoque non nouum aliquod ius infert. Vt taceam verba hæc nuda eſſe enunciatiua, non diſpoſitiua,adeoq; vigorem iuris introducere non poſſe. Imo ſi admitterem diſſentientium opinionem,dubiumtamen adhuc illud ſupereſſet, vtrum hoc ad ſedem impeditam, vbi impedimentum tractum temporis poſtularet, poſſit ſatis commode applicari? ſede vacante certe facile ſuſpendi poteſt interim controverſia, vt interea nullum ſit metuendum præiudicium: aſt in ſede impedita aliud dicendum. Poſſent enim interim probationes, quæ adhuc in promtu & integræ ſunt, ex tanto temporis tractu deficere,& ſi eccleſia eſſet extra poſſeſſionem conſtituta, vel eo ipſo valde grauaretur, quod diutius carere deberet fructibus ſperatis, imo per tantum tractum temporis plane ius ſuum amittere.

§. XIII.

§. XIII. Tandem officium capituli in genere ſede impedita conſiſtit in adminiſtratione iuſtitiæ & expeditione ſincera eorum, quæ ad Regimen Eccleſiæ recte adminiſtrandum, omniaq; alia expedienda, quæ huc collimant, pertinent. Quod officium, cum admodum ſit generale & ex regulis tam moralibus quam politicis, imprimis vero ſcripturæ ſacræ, quæ normam huic adminiſtrationi imprimis præbere debet, quas prudens capitulum ignorare haud poteſt, hauriendum ſit, ſub incudem reuocare ſpecialiter, infinitum foret, cum ſufficiat dixiſſe, capituli officium circa regimen Eccleſiæ eo imprimis debere eſſe directum, vt ſalus Eccleſiæ promoueatur in gloriam Dei, & iura eidem competentia conſeruentur & defendantur. Vnde ſi quid forſan adhuc officii rationem poſtulare videtur, ex illis quæ poteſtatem indicant, facile poteſt cognoſci & diiudicari. *Demonſtratur capituli officium generale.*

CAPVT III.

DE

POTESTATE CAPITVLI SEDE IMPEDITA.

§. I.

CVm poteſtas capitulo competens ſit complexus variorum iurium eidem propriorum, merito quoque hæc diſtincte eſt conſideranda, ſi confuſionem euitare volumus. Operæ ergo pretium eſſe duco, vt in hoc tam amplo diſſerendi campo me intra limites contineam, quod non rectius fieri poſſe videtur, quam ſi prius breuibus iura epiſcopalia percurram, & cum capitulum ſede vacante vel impedita quodammodo Epiſcopi vices interim gerat, exinde diſquiram, quæ iura ex illis capitulo competere poſſint nec ne? Magna vero inter canoniſtas eſt diſſenſio, quot ſpecies juris epi- *Methodus h. c. dicendorum.*

Digitized by Google

epiſcopalis dentur? Alii duo, alii tria, alii plura, alii ſex capita ſtatuunt, hique inter ſe inuicem de caſibus eo pertinentibus de nouo diſputant, qua de re pluribus videri poteſt Linck. *de iure epiſc. 7.* qui ſane diſſenſus noſtro quidem iudicio vix ad harmoniam reduci poteſt. Nobis interim eorum arridet opinio, qui ad quatuor capita farraginem iuriũ epiſcopis competentium reducunt; ut nimirum (I.) quædam fluant ex iure *ordinis* (II.) quædam ex lege *diœceſana* (III.) quædam ex *iurisdictione* (IV.) quædam denique ex *dignitate epiſcopali.* Per *ius ordinis* intelligunt hic Canoniſtæ poteſtatem, quæ Epiſcopis ratione ordinis ſeu conſecrationis epiſcopalis tanquam Paſtoribus & Presbyteris, vt ita loquar, competunt & ita intime ſpectant ad poteſtatem internam adminiſtrandi ſacramenta alioſque actus ſacros. *Ex lege diœceſana* dicuntur eſſe epiſcoporũ, quæ ad eos ratione diœceſeos tanquam proprii territorii ſpectant, & ut Engel. *in Coll. iur. Can. lib. 1. tit. 33. n. 37.* loquitur, *conſiſtunt vt plurimum in recipiendo*, id eſt, quæ epiſcopus a ſuis ſubditis exigere & recipere poteſt, vt cathedraticum, charitatiuum ſubſidium &c. *Iurisdictio epiſcopalis* tribuit poteſtatem iuris dicendi in quoſcunque (niſi pacto vel lege ſit reſtricta) diœceſanos, adeoque magis continet illa, quæ ad imperium externum & auguſtiorem iubendi poteſtatem pertinent, quamuis non diffitendum ſit, Canoniſtas ipſos non poſſe cuique poteſtati certos limites aſſignare, vt declarat plenius Linck. *cit. loc. 6. 7. in f. Dignitas* epiſcopalis oſtendit vari iura Epiſcopo ratione ſtatus & dignitatis epiſcopalis competentia.

Generalia poteſtatis capitulo competentis demonſtrantur.

§. II. Quæ omnia ſi conſidero, ſane grauis inde oritur conſideratio, qualia iura ex hiſce in capitulum tranſeat? Neque rem exhaurire videtur Rodriquez Fermoſinus *de poteſt. capit. ſede vac.* qui in plurimis ſibi ipſi non conſtat. Barboſa *ad c. 2. ne ſed. voc. aliquid inn. n. 3. ſeqq.* magis per caſus procedit; & tamen hunc plerique ſequuntur. In qua re vt rite verſemur, inquirendum eſt, quare capitulum ſuccedat Epiſcopo

po

po interim in regimine Eccleſiaſtico & aliis iuribus? Et negari nequit, factum hoc eſſe partim ideo, ne eccleſia vidua, absque omni regimine exiſtens, damnum incurrat, & infauſtam inordinatæ machinæ ruinam metuere debeat, partim etiam, quia capitulum viuente Epiſcopo in plurimis iam ipſius regiminis partem tenuit, adeoque cura interim ei videbatur demandanda eſſe. Iam ſi illa, quæ ad regimen eccleſiæ ſpectant, in eccleſia cathedrali examino, illa vel præciſe cohærent perſonæ Epiſcopi, tanquam a conſecratione profluentia, & in capitulum tranſire non poſſunt, vel ab aliis etiam expediri poſſunt. Hæc vero vel neceſſitatem aliquam ſupponunt, ita ſcilicet, vt ad regimen ecclaſiaſticum & alia iura Dioeceſana neceſſario ſpectent, qualia ſunt, quæ in iuſtitia exercenda, & promouenda eccleſiæ vtilitate conſiſtunt, vel talem non ſupponunt: Illa ſine dubio exercet quoque capitulum, ſed difficilius hæc, quia cum moram admittant, nec præciſe fieri debeant, capitulum ſe in hæc ingerere non debet. Conſ. Engel in Colleg. Iur. Canon. *tit. ad X ne ſede vac.* Fermoſ. *cit tr. 1. quæſt 1. 4.* &c. Sed hæc quidem in praxi non adeo attenduntur, vt iam conqueſtus eſt Fermoſ. *c. l. tr. 1. qu. 1. num. 2.* Vnde ſecundum hæc tradita percurramus iura Epiſcopalia, & quid capitulum in his poſſit, breuiter adiiciamus.

§. III. Quare me PRIMO conuerto ad illa quæ ſunt *ordinis Epiſcopalis*, qui iuxta mentem canoniſtarum dependet a charactere quodam indelebili, in ordinatione & vnctione ipſi impreſſo. Hinc referuntur ad ius ordinis clericorum ordinatio, virginum conſecratio, altaris benedictio vel vnctio, eccleſiarnm conſecratio, poteſtas tradendi conuerſis hæreticis paracletum ſpiritum, vt loquitur *c. 4. D. 68.* confirmatio baptizatorum, confectio chriſmatis, conſecratio olei infirmorum, & alia quæ plenis buccis ex ipſis interpretum iuris canonici ſcriptis hauriri poſſunt. Alii ad multas ambigui-

Demonſtrantur quæ ſunt ordinis, epiſcopalis.

Digitized by Google

guitates tollendas diſtinguunt inter illa,quæ ſunt ordinis,ſũti pro poteſtate epiſcopis ſolis propria,& inter illa,quæ ſunt ordinis in genere,quatenus etiam cuilibet ſacerdoti non Epiſcopo propria ſunt. Ad poſteriorem caſum referunt poteſtatem docendi & prædicandi verbum Dei, adminiſtrandi & diſpenſandi Sacramenta, poteſtatem ligandi & abſoluendi, qnæ clauium dicitur. Ad priorem caſum plura alia ſpectant,quæ quidem ex ordine fluunt, ſed tantnm ab Epiſcopo qua tali expediri poſſunt, quo referuntur: Poteſtas confirmandi baptizatos, conſtituendi Vicarios in ſacris,ordinandi miniſtros eccleſiæ ac confirmandi, poteſtas loca ſacra ædificandi & conſecrandi, conſtitutio & benedictio cœmeteriorum, Ius benedicendi Abbates, Abbatiſſas, ſacras virgines,ius chriſma conficiendi,inaugurandi&conſecrandiReges,quæ omniaEpiſcopꝰ per conſecrationem conſequitur conf.Concil.Trid *Seſſ.23. c.7.*

Ex iſtis capitulo quæ competant, eruuntur.

§. IV. Videamus quid capitulo ſede impedita de hiſce iuribus competat? Et quidem quod iura epiſcopis cum aliis ſimplicibus ſacerdotibus communia attinet,moraliter eſt impoſſibile, capitulum,tanquam perſonam myſticam,docere & prædicare poſſe verbum diuinum,quamuis eo proſpicere debeat, vt huiusmodi prædicationis officium ab aliis ſalubriter exequatur. Sicuti etiam epiſcopis ipſis Concilium Tridentinum indulget *ſeſſ.5. de reſor. c.7.* vt,ſi legitimo detineantur impedimento, ſcil. propter aduerſas valetudines, occupationes multiplices &c. aliquem idoneum ad docendum Euangelium in locum ſuum ſurrogent. Idem quoque dicendum *de poteſtate adminiſtrandi Sacrmenta* vt & *de poteſtate clauium*, quæ ex ordine fluunt & a perſona ſimplici, quæ ordinem tenet, non compoſita expediri debent. Ceterum cum poteſtas clauium interdum a Canoniſtis in latiori accipiatur ſignificatu, ita vt etiam affinia iura,quæ magis ex Iuriſdictione fluunt, complectatur, vtpote abſoluere a caſibus epiſcopo reſeruatis, confeſſarios approbare, reuocare licentias confeſſariorum, talis

pote-

Digitized by Google

poteſtas capitulo denegari nequit. Sic poteſt capitulum ſede impedita concedere facultatem abſoluendi a caſibus epiſcopo reſeruatis. Panormitanus *de c. 14. X. de Maior. & Obed.* Pauinus *de Cap. ſed. Vac. p. 1. qu. 5.* Et quamuis in caſu ſedis vacantiæ Doctores prærequirant neceſſitatem, antequam ad capitulum hæc poteſtas tranſire poſſit, in caſu tamen ſedis impeditæ, propter impedimentum continuum ipſo iure neceſſitas adeſt *illos reſtaurandi in locum honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem recepiſſe merentur diuina pietatis c. 28. D. 50.* Deinde confeſſarios quoque approbare poteſt pro diœceſi, partim quia conſuetudo, quæ ius facit, ſatis hac de re teſtatur, efficiendo id per Vicarium ſuum, partim quia hic actus approbandi eſt magis actus iurisdictiones ordinariæ, in quem capitulum, diſquiſitione procul, ſuccedit. Conf. Rodriquez Fermoſin *de ſed. Vac. tr. 1. qu. 21. n. 4. ſeq.* Tandem etiam capitulo ſede impedita non eſt deneganda poteſtas reuocandi licentias a defuncto epiſcopo conceſſas confeſſariis tam regularibus (modo non ſint parochi) quam ſecularibus. Capitulum enim reſpectu omnium habet iurisdictionem ſicut epiſcopus. Quamuis non negem, in caſu ſedis vacantiæ hanc facultatem capituli, non eſſe ad regulares extendendam, ſed potius epiſcopo de nouo venienti reuocationem & ſubiectionem nouo examini ſacerdotes regulares approbatos, aſſeruandam; Cum tamen Rodriquez Fermoſ. *de pot. epiſc. ſed. vac. all. l. n. 9.* rationem prohibitionis in eo fundet, quod capituli iurisdictio ſede vacante parum duret, adeoque pro paruo illo tempore ipſis non ſit adiudicanda hæc poteſtas, alia ſine dubio deciſio erit formanda in caſu ſedis impeditæ, vbi hæc ratio ceſſat, & ſic capitulo maior hac in re poteſtas non erit deneganda.

Vlterius capituli poteſtas iuxta poteſtatem ordinis epiſcopalis eruitur.

§. V. Tranſeo ad iura ordinis, epiſcopis propria, vbi, quod CONFIRMATIONEM baptizatorum attinet, hæc capitulo attribui non poſſe videtur, propter decretum Concilii

Tridentini *Seſſ. 7. de Confirm. c. 3. ſi quis dixerit ſanctæ confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, anathema ſit.* Accedit, quod epiſcopus habitu Pontificiali iudutus baptizatos confirmet. Hoſtienſ. *in ſumm. Iur. Can. lib.* 1. *de auth. & vſu pall. n. 1.* quod ad capitulum applicari nequit, quamuis vt per vicinum Epiſcopum id fiat, curare debeat. COLLATIO vero BENEFICIORVM, quam nonnulli quoque huc referunt, ſede impedita magis capitulo competit, quam ſede vacante, quod ſupra iam eſt euictum; Cum & canoniſtæ concedant, collationem beneficiorum neceſſariam ſpectare ad capitulum; vbi per *neceſſariam* intelligunt illam, qnæ proptar periculum animarum differri non poteſt Gonzal. *ad c. 2. X. ne ſed. vac. n. 5.* Iam vero in caſu ſedis impeditæ mortuo paſtore animæ quam maxime periclitarentur, ſi tamdiu collatio beneficii differretur, usque dum poſt quatuor & plures annos epiſcopus cathedram demum apprehenderet, quod ſane canones voluiſſe, ne quidem cogitandum eſt. Conf. *c. vn. §. 2. in fin. Ne ſed. vac. in 6.* Et hoc in eccleſiis quoque Indiarum in viridi eſt obſeruantia, vt ſcil. ad capitulum, ſede quamuis vacante, collationes quæuis pertineant. Conf. hac de re plene Solorzano *de Iure Indiarum tom. 2. lib. 3. c. 13.* Sic quoque beneficiorum, ob negligentiam inferiorum ad epiſcopum iure deuoluto ſpectantium, eo mortuo, in caſu ſedis impeditæ, ad capitulum prouiſio deuoluitur. Et quamuis ſede vacante hæc beneficia deuoluta, eſſe futuro epiſcopo reſeruanda, nonnulli ſtatuaut vid. Quaranta *in ſumm. Bullar. v. capitulum ſede vacante verſ. 9.* tempore tamen ſedis impeditæ, ob incertum impedimenti finem, aliud obtinere crediderim, præſertim cum etiam Engel *tit. Ne ſed. vacant. n. 5.* idem ſtatuat, in caſu ſedis vacantis.

Oſtenditur porro capituli poteſtas.

§. VI. ORDINATIONEM vero capitulum expediri haud poteſt, vtpote cuius proprius factus eſt epiſcopus miniſter. Concil. Trid. *ſeſſ. 23. de ordin. can. 7.* ita ut anathema impoſitum

fuerit

Digitized by Google

fuerit illi, qui dixerit, hanc poteſtatem eſſe epiſcopis cum presbyteris communem. Non obſtante tamen hoc rigore tuto affirmaverim, capitulum curare poſſe, vt per vicinum vel aliũ epiſcopum ordo conferatur, arg. Conc. Trid. *ſeſſ. 23. de reform. c. 3.* ſicuti in genere omnia, quæ ordinis ſunt, per vicinos Epiſcopos expedire poteſt, quod multo magis in caſu ſedis impeditæ admittendum, vbi hæc negotia ſacra tantam non admittunt moram, intra quam durare poteſt impedimentum. Et ſane conſultum foret hoc caſu, vt a Pontifice conſtitueretur interim aliquis Epiſcopus, (ſicuti Epiſcopi ipſi ſibi ſolent conſtituere *ſuffraganeos* Weih-Biſchöffe) qui illa tam diu adminiſtraret, donec impedimento ceſſante alius eligeretur, cui, ſicut ſuffraganeo, certus aliquis inter infideles poſſet locus aſſignari, ne ſine titulo promotus videretur. Facilius CONFIRMARE poteſt capitulum ſede impedita a patrono præſentatos, prout electio de iure fuerit, vel etiam infirmare *c. 14. X. de maior. & obed.* Imo eos quoque confirmat, qui a capitulo ipſo ſunt electi, ſi forſan confirmatio alias ad ipſum Epiſcopum ſpectaret, nam iure capitulari eligit & confirmat iure Epiſcopali. Andr. Valenſ. *ad tit. ne ſed vacant. n. 7. inſ.* Porro LICENTIAM AD AEDIFICANDVM ECCLESIAM capitulum ſede vacante concedere alicui poteſt, ad effectum vt acquirat in ea ius patronatus, vt docet Viuian. in *prax. iur. patronat. p. 1. lib. 2. c. 1. n. 12.* multo magis ergo ſede impedita. Accedit quod hæc poteſtas Epiſcopis competat iure ordinario, in hoc vero capitulum plene ſuccedit. Calderin. *de iure patronat. conſ. 3.* Si ergo hanc facultatem aliis capitulum concedere valet, dubio procul ipſum quoque loca ſacra ædificare poteſt; Hinc fluit, quod & cœmeteria tanquam acceſſorium templorum conſtituere, & conſtituenda permittere poſſit. Quamuis cum conſecratio templorum ſit actus meri ordinis Epiſcopalis, Deſſel. *Erotem. iur. Can. tit. de conſecrat. eccl. qu. 1.* capitulum per vicinum epiſcopum conſecrationem

Digitized by Google

templorum & benedictionem cœmeteriorum peragere debeat.

Continuatur in iisdem eruendis.

§. VII. Proxime huc pertinet ius *permittendi vt monaſteria aliaue religioſa domus extruantur* intra diœceſin, quod capitulo ſede impedita etiam eſt adiudicandum, ſicuti absque conſenſu Epiſcopi, ſede non vacante, hæ ædes conſtrui prohibentur *c. 20. ſeqq. C. 18. Q. 2.* Cum enim Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regular. c. 3.* permittat erigi monaſteria in diœceſi, ſi Epiſcopi licentia prius deſuper fuerit obtenta, in caſu vero ſedis impeditæ capitulum repræſentet Epiſcopũ (exceptis actibus meri ordinis Epiſcopalis) quippe cui etiam ſpirituali coniugio eſt copulatum *c. 2. c. 4. X. de transl. epiſc.* etiam poteſtatem conſtruendi monaſterium vel alia pia loca concedere poteſt, præprimis cum inſuper autoritas ſummi Pontificis ſuperaddi debeat *c. un. de relig. domib. in 6. c. un. de exceſſ. prælat. eod.* hæc vero ſi denegatur, etiam poteſtas expirat. Accedit fauor piæ cauſæ, qui hoc prætextu impediendus non eſt, quod ſedes ſit impedita, neque illud poteſt dici vergere in præiudicium futuri Epiſcopi, quod promouet gloriam Dei. Sic quoque poteſt capitulũ concedere facultatem erigendi *hoſpitalia*, vt & *Xenodochia*, vbi peregrini gratis recipiuntur, *Noſocomia*, vbi ægroti curantur a parabolanis, ad ægrotantium curam conſtitutis; *Brephotrophia*, vbi infantes aluntur & nutriuntur; *Ptochotrophia*, in quibus mendici & pauperes ſuſtentantur, *Orphanotrophia* vbi Orphani aluntur, *Gerontocomia* ubi ſenes pauperes & infirmi curantur, *Grotonophia* vbi fœminæ debilium ſuſtentrices habitant, *Leproſoria* in gratiam eorum, qui morbo lepræ loborant, ſeparatim extructa, *Elemoſynarias* ſiue loca ad eleemoſynas faciendas deſtinata &c. Quæ omnia piorum locorum nomimine inſigniri ſueuerunt. Ceterum diuerſa eſt ratio in IVRE BENEDICENDI ABBATES ET ABBATISSAS, qui ritus ab epiſcopo miſſa interueniente peragitur, poſt eorum earundemque electionem & confirmationem, & quidem in benedictio-

Digitized by Google

dictione abbatis, duobus aſſiſtentibus abbatibus. Laymann. *Theol. moral. lib. 5. tr. 9. c. 13. §. un. n. 17.* Quod ipſum demonſtrat, a capitulo hæc ſolennia peragi non poſſe, uti nec monialium conſecrationem, quæ fit interueniente traditione velaminis conſecrationis *c. 11. C. 20. q. 1.* De quo ſacro vetamine, quod iam a multis ſeculis virginibus impoſitum fuerit, eiusque ritu, videri poteſt Ziegler *de epiſc. lib. 3. c. 9. §. 6. ſeq.* vbi ſimul §. 7. demonſtrat, quod ad epiſcopos ius velandi pertineat quidem, ita tamen, vt ſi a presbytero velata ſit virgo, actus propterea non reddatur invalidus, quod variis conciliorum locis comprobat. Ex eodem fundamento *ius inaugurandi* & *coronandi Reges* capitulum ſibi vindicare non poſſet, ſicut ne quidem epiſcopus electus, ſi nondum eſſet conſecratus.

§. VIII. Referunt hunc quoque, quod Conſtitutiones eccleſiaſticas atque ſtatuta capitulum ſede impedita condere poſſit *c. cum omnes 6. X. de conſtit.* quæ obligent totam diœceſin, quæque tam diu durent, quamdiu a veniente epiſcopo non reuocantur. Nouum enim epiſcopum a capitulo condita ſtatuta reuocare poſſe, ſi in capitulatione nonſit aliter cautum, extra eandem eſt controverſiam, ac ſi affirmarem, ipſum etiam cuiuſuis alterius epiſcopi anteceſſoris ſtatuta abrogare poſſe. Interim capitulum non ſolum ſtatuta condere poteſt de rebus concernentibus cultum diuinum, Barboſa *de Canon. c. 42. n. 73.* ſed etiam pertinentibus ad ipſum capitulum, puta, qualiter debeant capitulares congregari, vel diſtributiones diuidi. Quaranta *in ſumma Bullarii* verb. *capitulum ſede vac.* verſ. *quarto quaro.* Imo & durante impedimento, cum plenam habeat iurisdictionem in diœceſi, etiam leges iuſtitiæ & quæ reſpiciunt regimen proprium politicum & œconomicum ferre poteſt.

§. IX. SECVNDO ex indole legis diœceſanæ ad epiſcopum ſpectare dicuntur illa iura, quæ exercet ob diœceſin. Huc refer obedientiam, ſubiectionem & reverentiam, quæ omnia capi- *Reſoluuntur iura ex lege Diœceſana fluentia.*

Digitized by Google

capitulo ſede impedita æque ſunt præſtanda ac epiſcopo. Expreſſe enim in *c. 11. X. de maior. & obed.* iniungitur *presbyteris & clericis, vt manualem obedientiam & reuerentiam & honorificentiam omnem capitulo exhibeant, ſi eccleſia epiſcopo vacaret.* Deinde *adminiſtratio diſpoſitio & gubernatio rerum & bonorum eccleſiæ tam mobilium quam immobilium* ſede impedita etiam ſpectat ad capitulum, quem in finem œconomum conſtituit, rationesque ab eodem recipit, vt ſupra iam *cap. antec.* dictum. Sed non eadem cum libertate, ac quidem, ſi Epiſcopus regimen eccleſiæ obtinet. Nam alienare nihil plane poteſt, vti expreſſe deciditur in *c. 42. & 44. C. 12. q. 1.* Sed omnia debet futuro epiſcopo fideliter aſſeruare *c. 38. & 43. C. 12. Q. 2.* nec conſumere *c. 40. de elect. in 6.* quæ ex iurisdictione aut proventibus ad Epiſcopum ſpectant *Clem. 7. de elect.* Quamuis enim proprio iure agat capitulum, hoc tamen non eo pertinet, vt etiam proprietatem plenam rerum habeat, ſed potius ex poteſtate a Canonibus reſtricta omnia agere debet. Ceterum id quidem in ſedis vacatione eo minus dubii habet, quia illa non adeo longo durat tempore; aſt in ſede impedita hæc cum grano ſalis & temperamento æquitatis accipienda putamus. Poſſet etim neceſſitas exiſtere, quæ alienationem vrgeret & non permitteret, vt futuri Epiſcopi electio expectaretur; Quis hoc caſu denegaret capitulo poteſtatem quædam alienandi? Nam & in ſedis vacatione in aliis ſolent Canoniſtæ plura indulgere Capitulo, quæ regulariter ei non competunt vid. Engel. *in Coll. Iur. Can. tit. ne ſed. vac. n. 3.* Ex his iam iudicari poteſt de illa quæſtione, an capitulum poſſit inueſtituras de nouo facere ſede impedita? De ſede vacante id negat Fermoſin. *tr. 1. qu. 16. n. 2.* præſertim in Eccleſia Cathedrali, vbi ad ſolius Epiſcopi tanquam Domini Feudi iudicium hoc ſpectare volunt. Ritterhuſ. *de feud. l. 1. c. 5. q. 11,* Vulteius *de feud. l. 2. c. 3. n. 11.* Anton. *ius feud. diſp. 2. §. 3. lit. g.* Quodſi tamen feudum ſit infeudari ſolitum, merito Ill. Dn. Strykii

in

Digitized by Google

in exam. iur. feudal. c. 5. q. 8. ſententia contraria præferenda, cum capitulum nihil innouet, dum facit, quod Epiſcopus facere ſueuit. vid. Struv. *Synt. iur. feud. c. 5. aph. 9. n. 6.* id quod eo magis in ſede impedita admittendum, quo magis conceſſa eidem eſt ſuo modo plenaria alienatio.

§. X. Porro capitulo competit *religioſarum domuum prouiſio atque inſpectio.* Sicut enim in antecedentibus demonſtratum eſt, capitulo competere ius permittendi, vt extruantur hoſpitalia, monaſteria & pia loca, ita quoque ad capitulum pertinet, vel ipſius conſenſu fieri debet conſtitutio illorum, qui hiſce locis religioſis præſunt, atque exactio rationum durante impedimento quotannis reddendarum vid. *Clem. 2. §. ut autem. de relig. domib.* Engel *in Coll. Iur. Can. cit. l. n. 13.* Hinc & conſenſum & authoritatem, capitulum interponit, vbi bona horum locorum permutatione, datione in ſolutum, aut quauis alia alienatione, itidem tamen neceſſaria interueniente cauſa, ac ſolenni obſeruato ritu, alienanda, & vel ad alia pia loca, vel etiam profanos transferenda ſunt vſus. Circa *curam perſonarum miſerabilium* vix arbitror capitulo dubium moueri poſſe, cum amor chriſtianus & charitas illa, quæ quemlibet hominum chriſtianum impellit ad ſubueniendum illi, qui ipſius auxilia & ope indiget, etiam capitulum tanquam quendam magiſtratum inuitet, vt curam habeat eorum, qui a legibus *miſerabiles* vocantur. *Ius circa ſcholas & informationem iuuentutis* ſub religioſis domibus continetur, & indicat, capituli conſenſum in erigendis ſcholis ſede impedita æque eſſe neceſſarium, ac ſede plena conſenſus epiſcopi neceſſitatis eſſe dicitur. *Continuatur in iisdem.*

§. XI. *Poteſtas concedendi licentiam creandi Doctores & Magiſtros* a quibusdam ſoli epiſcopo attribuitur. Ad cuius controuerſiæ euolutionem præmitto; collationes graduum in eccleſiis authoritate Imperatorum vel Pontificum olim fuiſſe peractas; cum vero ipſi propter impedimenta ac itinera *Demonſtratur poteſtas concedendi licentiam creandi Doctore.*

 ſin-

ſingulis promotionibus intereſſe vel non poſſent, vel etiam nollent, in Synodo Baſileenſi & Ferrarienſi, ex Imperatorum omniumque imperii ſtatuum conſenſu conſtitutum eſt, vt poteſtas conferendi gradum committeretur epiſcopis; qui iterum eam per Pro Cancellarios vel alios officiales, hanc in rem conſtitutos, tempore promotionis decanis vel promotoribus publice concedere ſolent. Vid. Sithm. *de Iur. Epiſc. c. 12. n. 85.* Et hinc dicti ſunt epiſcopi *Cancellarii Academiæ*, & ipſæ vniuerſitates Germaniæ cathedris epiſcopatuum vigore legis diœceſanæ regulariter incorporatæ ſunt. Exemplo ſunt plures Academiæ, tempore Epiſcoporum adhuc in Germani vbique præſidentium erectæ. Nam Academiæ Lipſienſis Cancellarius factus eſſe dicitur Epiſcopus Martisburgenſis, Ingolſtadienſis Eiſtetenſis, Effordienſis ipſe Moguntinus Archiepiſcopus, Griphiswaldenſis Epiſcopus Caminenſis, Baſileenſis Epiſcopus Baſileenſis, Roſtochienſis Epiſcopus Suerinenſis, Viadrinæ Epiſcopus Lebuſienſis &c. conf. Bernhard. a Mallinkort. *de Archi-Cancell. Imper. lib. 2. c. 6. circa fin.* Præmiſſis hiſce, ſi quæſtio de capituli poteſtate incideret, circa hoc cancellariatus ius, arbitrarer, capitulo quoque competere ſede impedita ius, per Pro-Cancellarium concedendi Decano tempore promotionis licentiam creandi Doctores vel Magiſtros. Hic enim actus conceſſus eſt epiſcopo ſimpliciter, non qua alia inſuper gaudet qualitate; repræſentat vero capitulum perſonam epiſcopi *c. 3. de ſupplend. præl. in 6.* Accedit, quod non vnice & ſtricte perſonæ epiſcopi, ſed etiam interdum aliis clericis & prælatis cancellariatus functio fuerit delata, vti ſupra adductus Mallinkr. & Limn. *de Iur. publ. lib. 8. c. 2. n. 4. ſeqq.* ſatis probant. Imo primaria cauſa epiſcopo cancellariatum conferendi fuit, quod fuerit clericus, dum eo tempore in Germania apud ſolos clericos eruditionem reſidere credebant. Limn. *d. l. 8. c. 1. n. 45.* Capitulum vero cum etiam conſtet ex clericis, nec minoris eruditionis præſumtionem

Digitized by Google

nem pro ſe habeat, non video cur ante dicta poteſtas ipſi denegari poſſit. Hinc quoque ad varias hac de re diſputationes avertendas expreſſe Maximilianus Imperator anno 1500. & Epiſcopo Lebuſienſi, & in caſu huius ſedis vacantiæ capitulo, Academiæ Viadrinæ Cancellariatus officium contulit.

§. XII. *Ius conuocandi in Diœceſi Synodos ſiue Concilia*, vt vocantur, *Epiſcopalia*, vel ob controuerſias religionis, vel ad corrigendos mores clericorum, vel etiam propter alias cauſas eccleſiaſticas, ſoli attribuunt Epiſcopo. Sed inſpiciamus rem penitius. Concilium Trid. *ſeſſ. 24. de Reform. c. 2.* iniungit, vt Synodi diœceſanæ *quotannis* celebrentur, aſt vero ſedes impedita per multos durare poteſt annos, adeoque ſi capitulo adimeretur facultas conuocandi concilia diœceſana, illuderetur a Canoniſtis ipſa Concilii Tridentini diſpoſitio. Deinde, poteſtas conuocandi ſynodos dependet *ex lege diœceſana*, vel rectius, vti ſupra adductus triplex finis conciliorum demonſtrat, ex iurisdictione epiſcopali; hæc vero cum capitulo competat in genere, ſpecies quoque eiusdem ipſi neceſſario ſunt adiudicandæ. Conf. Barboſa *in c. fin. X. de his quæ fiunt. n. 2.* Si igitur capitulum ſede impedita cogere poteſt ſynodũ diœceſanam, poteſt quoque exigere ſynodaticum, quippe quod in ſynodis habitis exſoluendum eſt. Cathedraticum vero, cum præciſe cathedræ ſiue honori epiſcopali perſonali debeatur *c. l. C. 10. q. 3.* ille vero vacet ad præſens, merito tantũ futurus epiſcopus recipere valet. Omnes quidem fere Canoniſtæ, præter vnicum Le Maître *de Iure Epiſcopal.* Synodaticum & cathedraticum confundunt, ſed, vt ego arbitror, perperam. Expreſſe enim in *c. 16. X. de off. iud. Ord.* a ſe inuicem diſcernuntur per particulam *ſeu*, & multi textus quoque diuerſimode de hiſce duobus iuribus loquuntur, qui, ſi vis illis non inferatur, haud aliter explicari poſſunt, quam quemadmodum ſupra hæc diuerſa iura diſtincte ſunt deſcripta vid. *c. 16. X. de off. iud. ord.* ibi: *Synodum, & Synodatici.*

Vt & conuocandi in diœceſi ſynodos: Et viſitandi.

Digitized by Google

tiones ex decimis. Deinde, *quarta mortuariorum*, quæ ex legatis eccleſiis etiam cathedralibus, capellis, aliiſque piis locis debetur, capitulo ſede impedita etiam competit. Rationes enim, ob quas epiſcopo hæc quarta attribuitur, etiam ſede impedita reſpectum ad capitulum habent. Sic Barboſ. *de Off. & pot. Epiſc. p. 3. all. 56. n. 1. & 7.* partim recognitionem ſuperioritatis, partim curam & *cæleſte pabulum* adducit. Neutrum horum deficit capitulo, dum & ſuperioritatem quandam ſede impedita in diœceſi habet, & circa eccleſias inferiores curam gerere debet, vt verbum diuinum ipſis rite proponatur. Imo idem Barboſa *lib. 3. Iur. Eccl. c. 19. num. 9.* aſſerit, nomine epiſcopi hic denotari quemcunque iurisdictionem epiſcopalem habentem. Ceterum per *quartam mortuariorum* etiam illa inſigniuntur, quæ titulo exequiarum eccleſiæ relinquuntur, vt docet Gonzal. Tellez. *ad c. 14. X. de teſtam.* quæ tamen inter ea & noſtram portionem intercedat diuerſitas, citra demonſtrationem eſt in aprico. Vocatur tamen etiam noſtra portio, *Canonica*, quod a canonibus nomen acceperit, cui ſimilis eſt apud Hiſpanos *luctuoſa*, quæ ſolui ſolet ex bonis mobilibus illius, qui beneficium alicuius eccleſiæ poſſedit, quique in viuis quartam decimationum accepit. Tandem vltimum legis Diœceſanæ conſtituit: *poteſtas exigendi ſubſidium charitatiuum*, quamuis & ſuo modo, propter adiunctam coactionem ad iurisdictionem referri poſſet. In ſubſidium autem quaſi eſt excogitatum, & dulci quidem charitatis vocabulo palliatum, vt hac ratione liberalitatis ſpecies videretur, vnde & *donum gratuitum* appellari ſolet: In effectu tamen nil niſi onus neceſſario exſoluendum complectitur, dum Canoniſtæ ab initio quidem preces & charitatem exiguunt, ex iuſta tamen cauſa refractarios & inuitos ad ſolutionem poſſe compelli docent. Vid. Wagnereck. *ad c. 6. X. de Cenſib.* Et hoc ius exigendi ſubſidium charitatiuum omnibus illis, quibus iura epiſcopalia competunt, adeoque etiam capitulo ſede vacante, & multo

Digitized by Google

magis ſede impedita, communis Canoniſtarũ ſententia attribuit. Vid. Autores laudat. a Barboſ. *in Paſtorali. all. 82. per tot. p. 3.* Rodriq. Fermoſ. *de poteſtate cap. ſede vac. tract. 1. qu. 17. num. 8.* Engel *in Colleg. Iur. Can. tit. l.*

Recenſentur actus ex iuriſdictione epiſcopali fluentes.

§. XIV. TERTIO ad iuriſdictionem epiſcopalem, quam in tota diœceſi eiusque partibus, tanquam in republica, epiſcopi exercent, referunt Canoniſtæ Cognitionem cauſarum Clericos concernentium, tam ciuilium quam criminalium, laicos vero, eccleſiaſticarum pœnarum impoſitionem, Clericorum ab officio ſuſpenſionem, remotionem & depoſitionem, cenſuram eccleſiaſticam, Abſolutionem ab excommunicatione & interdicto, Abſolutionem a iuramento ad effectum agendi, Diſpenſationem circa matrimonium atque defectum Clericorum. Denique cognitionem cauſarum ad ſcholares pertinentium, quæ iuxta *Auth. Habita C. Ne filius pro patre* ratione concurrentiæ epiſcopo eſt aſſignata, ſed hodie Rectoribus Vniuerſitatũ, ob iuramenta in Academiis præſtanda, competit, adeoque hæc cognitio ratione Epiſcoporũ vix amplius frequentatur, teſte Sichardo *ad cit. Auth. n. 17. circa fin.* Breuibus ergo Iurisdictio Eccleſiaſtica concernit tam perſonas eccleſiaſticas & eorum forum priuilegiatum, quam cauſas eccleſiaſticas, quæ ſunt vel abſolute tales, vel mixti fori, vel ſubſidiariæ. Porro quoque verſatur circe pœnas eccleſiaſticas tam vindicatiuas quam medicinales. Vlterius tangit harum pœnarum remiſſiones, abſolutiones, indulgentias & alia huc ſpectantia.

Et applicatio ad capitulum.

§. XV. Iam ad hypotheſin. Vbi in confeſſo eſt apud omnes, capitulum exercere iure ordinario omnia quæ ſunt iurisdictionis *c. un. de maior. & obed. in 6. c. pen. de ſupplend. negl. in 6.* Gonzal. Tellenz. *ad c. 2. X. ne. ſede Vac. n. 3.* Duarren. *de S. S. eccleſ. miniſt. lib. 2. c. 6. circa fin.* Gail. *obſ. 30. n. 12. & 18.* Vallenſ. *ad tit. X. Ne ſede vac. n. 6. &c.* Adeo non opus videri poſſet, ſingulas iurisdictionis particulas ſingulatim perluſtrare;

ſtrare; ſed tamen cum probatio caſuum ſpecialiũ magis confirmet imo & illuſtret regulam generalem, iurisdictionẽ quoque in genere capitulo competentem ſeparatim, & iuxta ordinem §. *antec.* conſiderabo. Et quidem quod *cognitionem cauſarum* attinet, nemo tanta impudentia contradicendi laborabit, qui hanc capitulo controuerſam reddere poſſit. Reſpicit autem cauſæ cognitio, quæ ſcilicet deſcendit ex jurisdictione eccleſiaſtica (iurisdictio enim ſecularis pertinet ad dignitatem & præeminentiam) vel perſonas, iam capitulo ſubiectas, vel cauſas eccleſiaſticas. *Priori caſu* certiſſimum eſt, iurisdictioni capitulari omnes omnino ſubiectos eſſe clericos, vt coram nullo alio iudice, quam capitulo ſede impedita conveniri poſſint, ſiue ſint clerici maiorum, ſiue minorum ordinum; Modo in Clericis minorum vnum ex ſequentibus quatuor requiſitis iuxta Concilium Trident. *ſeſſ. 23. de reform. c. 6.* concurrat, vt nimirum (1) vel habeant Beneficium eccleſiaſticum, vel (2) Clericalem habitum & tonſuram deferentes, alicui eccleſiæ ex mandato capituli inſeruiant, vel (3) In quodam ſeminario clericorum de licentia capituli degant, vel (4) cum ipſius conſenſu in ſchola vel vniuerſitate quadam, quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos, verſentur; Quamuis Engel. *ad tit. X. de for. compet. n. 42.* putet, hoc vltimo caſu clericum minoris ordinis coram Rectore, ſi is clericus ſit, ſin minus, coram aliis Profeſſoribus clericis, hodie forum ſortiri. Non vero refert, an hi clerici minorũ ordinum ſint coniugati, nec ne. Bonifacius enim VIII. in *c. vn. de cler. coni in 6.* illis quoque priuilegium fori conceſſit, modo contraxerint cum vna, & quidem virgine, tonſuram & habitum clericalem retineant, inſimulque iuxta Concil. Trid. *cit. c. 6.* a defuncto epiſcopo vel a capitulo ſint deputati ad alicuius eccleſiæ ſeruitium vel miniſterium. Vtrum vero clerici coniugati priuilegiũ fori tantum in cauſis criminalibus habeant, an vero in ciuilib9 quoq;, valde controuerſantur inter ſe Canoniſtæ. Me generalis diſpo-

ſpoſitio Concil. Trid. ad vtrumq; affirmandum inducit. Dum enim cit. *c. vn. de cler. conı. in 6.* non ſolum recenſet priuilegium canonis ab Iñocent II. Papa editi, quod reperitur in *c. ſi quis 28. C. 11. b. 4.* ſed etiam ſimul prouocat ad concilium Pariſienſe, cuius decreta recenſentur in *c. 2. de for. compnt.* atque agit de foro clericorum in genere; Concilium vero Tridentinum ſe refert ad conſtitutionem Bonifacii VIII cui nihil ſuperaddit, præter vnicum illud, quod ſuperius adduxi, ideoque illis tam in ciuilibus quam criminalibus cauſis fori priuilegium non inique adiudicari poſſe, per conſequens capitulum in ipſos vi iurisdictionis eccleſiaſticæ fundatam habere vtrobique intentionem, cenſet Engel. ad *tit. X. de cler. coni n. 7.* fruſtra reclamante Barboſa *lib. 1. iur. eccleſ. c. 39. §. 2. n. 38.* qui arbitratur ſpectare vnice priuilegium fori ad cauſas criminales. Nonſolum autem ipſi clerici, ſed etiam eorundem familia hoc fori priuilegio gaudent. Quæ vero perſonæ ad familiam referri poſſint vid. Barbos. ad *c. 2. X. de for. compet. n. 10.* atque idem *de iur. eccleſ. c. 39. §. 2. n. 57. ſeqq.*

Agitur de perſonis & cauſis eccleſiaſticis.

§ XVI. Quod de clericis hactenus eſt dictum, etiam ad regulares, eorumque nouitios, & laicos conuerſos, extenditur, nec non ad milites ſacros, Canonicos, Eremitas, illos qui per defunctum epiſcopum alicui eccleſiæ vel loco ſacro dicati, aut regulæ cuidam adſtricti & ſuperiori eccleſiaſtico ſubiecti ſunt, Rectores hoſpitalium ſeu hoſpitalarios, a prælato ad ſeruitium hoſpitalis conſtitutos, tandemq; ad omnes, qui ſeruitiis eccleſiæ, ſiue gratis ſiue conſtituto ſalario, autoritate epiſcopi inſeruiunt, vti demonſtrat Barboſa ad *c. 2. for. compet. n. pen. & vlt.* & *cit. l. 1. iur. Eccl. c. 39. §. 2. n. 51. ſqq.* Hi ergo coram nullo alio iudice quam eccleſiaſtico, adeoque ſede impedita capitulo, conueniri poſſunt, cui priuilegio, cum non ſit perſonale, ſed toti ordini eccleſiaſtico conceſſum, nemo clericorum, ne quidem cum iuramento, renunciare poteſt, iuxta verba Innocentii in *c. ſi diligenti 12. X. de for. compet.* ibique Gonzal. Tellez. *n. 11.*

Quam

Quamuis, dum canones clericis minorum ordinũ permittunt vt ordinem clericarem, habitum, & tonſuram dimittere, & negotia ſecularia exercere poſſint, ſi non verbis, ipſo tamen facto foro clericorum ſe ſubducere & eximere, adeoque per indirectum renunciare privilegio fori licet. Sunt vero certi caſus permiſſi, in quibus iudices ſeculares clericos ad ſuum forum trahere poſſunt, quos vide apud Linck. *de iur. Epiſc. c. 11. n. 58. ſeqq.* Sed hæc de perſonis. Tranſeo nunc *ad caſum poſteriorem*, nimirum *ipſas cauſas eccleſiaſticas*, quarum quædam dependent a iure ſacrorum, quædam vero a iurisdictione epiſcopali ſiue eccleſiaſtica. Priora huiꝰ loci non ſunt, bene tamen poſteriora. Huc vero pertinentes caſus iterum in triplici ſunt differentia, vel enim ſunt *cauſæ eccleſiaſticæ abſolute tales*, vel *mixti fori*, vel *ſubſidiariæ*. Pro *abſolute talibus* habentur, quæ res ſpirituales vel ſpiritualibus annexas, nec non eccleſias attinent. Huc ſpectant atque cognitioni capituli ſubiacent illa, quæ verſantur circa valorem profeſſionis religioſæ, & obligationem votorum. Gonzal. *ad c. 2. X. de Iudic. n. 8.* quæ pertinent ad res ſacras & eccleſiaſticas ceremonias. Engel. *ad tit. X. de for. compet. n. 6.* Cauſæ hoſpitalium, legatornm piorum, ſtipendiorum, ſalariorum & ſimilium vid. *c. 2. X. de iud.* adeo vt capitulum etiam ratione violentiæ in rebus his commiſſæ cognoſcere vi iurisdictionis eccleſiaſticæ poſſit. Klock. *vol. 1. couſ. 39. n. 20. ſqq.* Cauſæ delictorum eccleſiaſticorum omnium, ſive delinquens ſit laicus ſiue clericus; Cauſæ decimarum, earumque executio & diſtributio *c. 25. X. de decim.* Cauſæ iuris patronatus *C. 3. X. de iudic.* Cauſæ ſepulturæ ius concernentes, *c. non æſtimamus 19. C. 3. qu. 2. & c. 9. X. de Simon.* Quæſtiones de immunitate eccleſiaſtica, & an ad eccleſiam confugiens ea ſe tueri poſſit. Klock. *vol. 1. Conſ. 39. n. 27.* Cauſæ ærarii eccleſiaſtici; Cenſuræ librorum, præſertim qui ſine expreſſione nominis, authoris, & typographi emanarunt, vel: qui convitia continent, aut impia. Vid. Weber. *de Iur. Cunſiſt. c. 27. S. 23.*

H Deni-

Digitized by Google

Denique cauſæ viſitationum & parochiales, & omnes aliæ, quæ vel ratione ſubiecti, vel ratione materiæ vel ratione obiecti pro eccleſiaſticis habentur. Conf. Wammeſ. *Conſil. Iur. Can. 67. n. 6.*

Vt & de cauſis mixti fori & ſubſidiariis. Competit capitulo pœnarum impoſitio.

§. XVII. *Mixti fori* cauſæ in genere illæ eſſe perhibentur, quæ quidem per ſe ſunt ſeculares, *ſed quoad certam qualitatem reſpectum habent ad forum eccleſiaſticum*, vel, per ſe habentur quidem pro eccleſiaſticis, propter qualitatem tamen temporalem adiunctam ad forum quoque ſeculare pertinent. Engel. *ad tit. X. de for. compet. n. 67.* quæ cauſæ itidem ſine dubio ad capitulum ſpectant. Varii vero huc referuntur caſus, qui ex ipſis Canonibus hauriri poſſunt, ne, ſi ego illas recenſerem, huius Diſſertationis pagellæ nimium excreſcerent. *Cauſæ ſubſidiariæ* eſſe dicuntur, quæ propter affinitatem quandam ad cauſas eccleſiaſticas referuntur, vtpote cauſæ miſerabilium perſonarum, omnes cauſæ, in quibus a iudice ſeculari iuſtitia impetrari nequit. Conſul. Linck. *de Iure Epiſcop. c. 12. n. 16. ſeqq.* Deinde ad iurisdictionem epiſcopalem refertur etiam *pœnarum impoſitio*, quæ eo minus capiulo denegari poteſt, quo magis Pontifex *in c. vlt. de ſuppl. negl. præl. in 6.* ſtatuit, metrapolitanum poſſe mittere viſitatorem eccleſiæ vacanti, ſi capitulum negligens ſit in exequenda iurisdictione epiſcopali ad ſe deuoluta. Imo cum capitulo competat ius vtſitandi, competit etiam ipſi impoſitio pœnarum. Sic enim Concilium Trid. *Seſſ. 24. de reform. c. 3. Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere* &c. Videmus vero pœnas illas eccleſiaſticas eſſe duplices, vel *vindicatiuas* vel *medicinales* ſiue ſpirituales, quas Canoniſtæ *Cenſuras eccleſiaſticas* nominant. Vid. *c. 1. de ſent. excom. in 6.* Engel. *ad tit. X. eod. n. 2. & 26.* *Vindicatiuæ* vocantur, quibus exceſſus atque delicta ad diiudicationem iudicis eccleſiaſtici pertinentia coërcentur pœna externa, quo referuntur

Pecu-

Digitized by Google

Pecuniaria pœna ſiue mulcta, quæ inprimis decernitur aduerſus clericos maioris dignitatis, aut totum collegium delinquens. *Fructuum beneficialium ſubtractio*, ſi clerici beneficiati delinquant Engel. *ad tit. X. de pœn. n. 7. Pœna carceris*, quæ ob exceſſus leuiores clericis, imprimis ordinum minorum, irrogatur vid. *c. 35. de ſent. excom. Carena* ſiue pœnitentia in aqua & pane, a quarantena ſiue quadrageſima, vel etiam a carendo denominata. Vid. Carol. du Freſne *in Gloſſ. verb. Carena.* Hæc pœnitentia eccleſiaſtica autem cum 40. diebus & ſeptem ſequentibus annis coniuncta eſſe dicitur in *c. 8. X. de accuſ.* non ita quidem, vt per ſingulos dies & annos continuos carena duret, ſed per quosdam ſolum dies in vnaquaque hebdomade conf. Gonz. Tell. *ad c. c. n. 2. Pœna carceris perpetui*, quam refragante iure ciuili (vid. *l. 35. ff. & l. 6. C. de pœn.*) recepit ius Canonicum in *c. 3. de pœn. in 6.* vt hac occaſione euitetur effuſio ſanguinis, vel incommodum illud, tradendi clericos delinquentes curiæ ſeculari. Vocatur alioquin *immuratio.* Sic de hæreticis loquitur *c. 1. de Heret. in. 6.* quod vel curiæ ſeculari tradendi, vel immurandi ſint, non vt fame & inedia pereant, vt vulgo fabulantur, ſed vt carceris perpetui pœnam ſubeant.

§. XVIII. Cum priori affinitatem habet *Detruſio in arctum monaſterium* ad pœnitentiam peragendam, quœ olim frequenter in vſu fuit. Vid. *c. 2. X. de adult. & c. 6. X. de pœn.* Sed hodie hæc detruſio rarius occurrit, cum monaſteria tales homines vix accipiant, & ab epiſcopis, vel ſede impedita capitulo ad receptionem cogi nequeant, cum iurisdictioni epiſcopali fere ſint exemta. Vid. Wagner. *ad cit. c. 2. & 6. Verberatio ſiue caſtigatio*, etiam in perſonis clericorum *c. 1. X. de calumn.* modo ſit modica & non tranſeat in pœnam ſanguinis, mortis, mutilationis, aut morbi *c. 4. X. de raptor.* Wagn. *ad c. 1. X. de calumn. Exilium & relegatio*, quæ pœna etiam quoad clericos probata in *cit. c. 1. de calumn. Translocatio*, ſiue translatio in

Recenſentur vlterius pœna vindicatina.

in aliam parochiam, vbi delinquentis vei ſalarium, vel dignitas minuitur; vocatur *Germ.* Eine Pönitenz-Pfarre. *Suſpenſio* ſiue ſequeſtratio ab officio, quæ interdum medicinalis, interdum vindicatiua pœna eſt. Minuit autem ſuſpenſio non ſolum exiſtimationem, ſed etiam regulariter ſalario & reditibus priuat. Vid. *c. 11. X. de priuil.* *Depoſitio*, quæ eſt perpetua muneris eccleſiaſtici priuatio. Poſt peractam tamen pœnitentiam cum depoſito diſpenſari poteſt, iuxta Engel. *ad tit. X. de pœn. n. 21.* Depoſitionem vero promerentur ob crimen atrocius condemnati, ſiue ſint clerici maiorum ſiue minorum ordinum; gradus tamen admonitionis de corrigendis moribus præcedere debent. Retinet tamen depoſitus ordinem & hinc priuilegia clericalia fori & *canonis, ſi quis ſuadente. 29. c. 17. q. 4.* Denique *Degradatio*, omnium pœnarum grauiſſima, qua clericus ab omni officio ac beneficio eccleſiaſtico depoſitus, clericorum priuilegiis per ſolennem ſententiam in perpetuum & ſine ſpe reſtitutionis priuatur. Hanc vero, ſicut priorem, capitulum decernere nequit, niſi tribus & iuſtis interuallis, diſtinctis gradibꝰ admonitionum præmiſſis, de emendatione næuorum, ac vitæ diſſolutæ, iuxta *c. 46. & c. 48 X. de ſent. excomm.* propter analogian, quæ eſt inter excommunicationem & haſce pœnas.

Agitur de pœnis medicinalibus.

§. XIX. Reſtant pœnæ *medicinales* ſiue cenſuræ eccleſiaſticæ, quibus capitulum vtitur ad compeſcendos rebelles & inobedientes, vt hoc ipſo iuriſdictio eccleſiaſtica conſeruetur ac defendatur. Tres autem ſpecies in *c. 20. X. de V. S.* recenſentur: *Suſpenſio*, *excommunicatio* & *interdictum*. De *ſuſpenſione* iam §. *antec.* propter bonum ordinem eſt actum. *Excommunicatio* vero in præſentem conſiderationem cadit. Definitur autem ab Engel. *ad tit. X. de ſent. excom. n. 27.* quod ſit cenſura eccleſiaſtica, per quam homo chriſtianus a communione eccleſiæ ſeparatur; diuiditurque varie, Potiſſimum autem (1) in excommunicationem *generalem*, qua fures eorumque compli-

complices, niſi reſtituerint ablatum, anathemate feriuntur. *c. 21. X. de ſent. excom.* & ſpecialem, quæ in certam perſonam eſt directa (2) in excommunicationem *canonis ſiue latæ ſententiæ*, & *iudicis* (capituli) ſiue ferendæ ſententiæ (3) in excommunicationem *maiorem* & *minorem*; hæc repellit a participatione ſacramentorum; illa vero ab ipſa eccleſia & cœtu fidelium refractarium peccatorem abſcindit. Ab vtraque Cuiacius *ad c. 10. X. de iudic.* diſtinguit *Anathematiſmum*, huncque plane a corpore Chriſti auellere dicit, quod tamen aliis Canoniſtis, quos recenſet Couarruv. *in c. alma mater p. 1. §. 8. n. 6.* haud placet, & eandem dicunt eſſe vim, idemque vinculum anathematismi, & excommunicationis maioris, differreque tantum quoad ſolennitatem & terrorem, dum anathematismus adiunctas habeat diras imprecationes & execrationes publicas. Hacque ratione excommunicatio maior irrogatur per *ſententiam* iudicis eccleſiaſtici (Capituli), Anathema vero, ſi contumacia creuerit, peragitur per *executionem* ſententiæ latæ, quæ conſiſtit in execratione & ceremoniis in *c. 106. C. 11. q. 3.* propoſitis. Accidit autem interdum, vt vna parochia vel etiam ciuitas in diœceſi delinquat, quo caſu receptum eſt *interdictum*, vt eius terrore percutiantur hæ multitudines, Deſcribitur vero interdictum a Wagner. *ad c. 43. de ſentent. excom.* quod ſit *cenſura eccleſiaſtica, qua fideles vſu quarundam rerum ſacrarum priuantur ad terrorem & correctionem peccantium.* Diuiditur varie. Sic eſt vel *locale*, vel *perſonale*, vel *mixtum. Prius* locum, in quo ſacra prohibentur celebrari, immediate afficit, adeoque tam exteros quam indigenas ligat. *Alterum* perſonas certas reſpicit, quas ſequitur in omni loco; ſi denique & locum & perſonas reſpicit, conſtituitur interdum *mixtum.* (2) Interdictum aliud conſtituitur *totale*, quod omnes interdicti effectus habet, aliud *partiale*, quod quoſdam ſolum effectus ſortitur, cum v. g. prohibetur, ne quis in eccleſia diuina

celebret aut audiat, neque eo fine ingrediatur. Conf. Laymann. *Theol. moral. lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. ſeqq.*

Capitulum abſoluit a cenſuris, relaxat iuramenta & dirimit matrimonia.

§. XX. Cum vero præcipuus cenſuræ eccleſiaſticæ finis ſit, vt qui in peccatis contumaces hactenus fuerunt, ea ratione ad eorundem agnitionem adducantur, ita quoq; hoc caſu eſt receptum, vt *abſolutio* a capitulo fieri poſſit *c. vn. de mai. & obed. in 6.* Quod quidem de cenſura hominis omni dubio caret; quoad cenſuras vero iuris, quæ per Canones, & Bullas Pontificias aut ſtatuta feruntur, diſtinctio recepta eſt inter caſus reſeruatos & non reſeruatos: Ab his vero epiſcopus & quicunque epiſcopalem habet iurisdictionem abſoluit. Barboſa *ad conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6. n. 7. 8.* & hæc quidem diſpenſandi facultas non ſolum in pœnis, ſed etiam aliis materiis conſpicitur. Sic ergo capitulo competit poteſtas *relaxandi* iuramentum ad effectum agendi Fermoſin. *de pot. cap. ſed vac. tr. 1. qu. 15. n. 11.* Quæ tamen relaxatio non requirit citationem alterius partis, ſecus ſi relaxari debeat obligatio iurata. Tandem quoque huc ſpectat poteſtas *dirimendi matrimonia*, vbi tamen occurrit cognitio cauſarum, ob quas matrimonium vel quoad thorum & menſam vel quoad ipſum vinculũ diſſolui debeat. Si quidem Canoniſtæ recentiores matrimonium etiam propter adulterium quoad vinculũ neutiquam diſſolui poſſe cenſent, quorum ſententia etiam a concilio Trident. *ſeſſ. 24. de matrim. c. 7.* eſt approbata. Quam tamen opinionem examinare præſentis non eſt inſtituti.

Conſiderantur ea, quæ ſunt dignitatis epiſcopalis.

§. XXI. Denique QVARTO Epiſcopalis dignitas eſt complexus variorum iuriũ epiſcopo ratione ſtatus epiſcopalis ſeu externi honoris prorogatiuæ &c. compentium. Adeoq; ſub ſe comprehendit TITVLOS epiſcoporum illuſtriores, INSIGNIA Epiſcopalia, quorum appellatione denotantur: *Baculus paſtoralis*, alias dictus quoq; *ferula epiſcopalis* item *pedum*, nec non *cambuca*; *Mitra* ſeu *Cidaris Bicornis*; *Annulus*, *chirotheca*; aliæque veſtes ſacer-

Digitized by Google

cerdotales,quæ ab Innocentio III. vacantur Pontificialia ornamenta, ad quæ etiam refertur *Pallium*. CERTA PRIVILEGIA, immunitates, & ſecuritates varias,quibus accenſeri poteſt ius habendi thronum ſiue Faldiſtorium, nec non Baldachinum. Inde porro fluit PRAEROGATIVA graduum,qua nonſolum epiſcopi Statibus laicis præcellunt, ſed & ſibi inuicem præſtant, FVNCTIONES habent ampliſſimas Cancellariatus,& Archi-Cancenllariatus, nec non gaudent INAVGVRANDI iure aliisque officiis, quæ Archiepiſcopi nonſolum in imperio noſtro, ſed etiam in aliis regnis orbis Chriſtiani per unctionem, & coronationem Imperatoris, & regum, peragunt. Inprimis huc pertinet, quod in variis regnis peculiarem STATVM & ordinem regni conſtituant, atque in Imperio noſtro iam a multis ſeculis principibus & ſtatibus imperii adſcripti ſint. Denique quod in Imperio noſtro iura territorialia ac REGALIA inſtar principum imperii ſecularium poſſideant. &c &c.

§. XXII. Non hic examinabimus, cur dignitati epiſcopali vltimus inter iura epiſcopalia fuerit aſſignatus locns,cum tota hæc diſtinctio mere ſit magiſtralis; ſed potius ſtatim ipſa iura capituli iuxta hæc conſiderabimus. Prænotandum autem eſt, dignitatem aliam eſſe *perſonalem* aliam *realem*. *Illa* conſiſtit magis in externa prærogatiua,titulis,ſplendore, perſonæ ratione ſingularis qualitatis competentibus. *Hæc* vero comprehendit iura huic prærogatiuæ connexa, absq; tali externo cultu&titulis. Sic Principes&ciuitates Imperii æque ſunt ſtatus Imperii, ſed illis, ſi dignitatem perſonalem reſpicias, maior debetur cultus externus, quam ciuitatibus Imperii, quamvis in ipſis iuribus realibus conueniant. Iam ad hypotheſin, Epiſcopi in Germania ſine dubio tali externo fulgent ſplendore, vt cultus honoris inſignis eis debeatur, adeoque variis ab omni tempore inſigniti fuerunt titulis. Exempla occurrunt in *l. 26. C. Theod. de haret. l. 42. l. 43. & 45. C. Theod. de epiſc. & cler.* vbi *Venerabiles* & *Reuerendiſſimi* vocantur. *Clem. vn. verſ.* *Diſquiritur de titulis, & inſignibus.*

nec

nec ſuper. de pœn. epiſcopos vocat *ſanctiſſimos* & *beatiſſimos*, quamuis hodie *ſanctiſſimi* & *beatiſſimi* titulus ſoli fere Pontifici attribuatur. Porro in *c. fin. de ſent. & re iud. in 6. Illuſtribus* perſonis, & in ſpecie præfectis prætorio æquiparantur *in l. 8. C. de epiſc. Aud.* Vnde adhuc hodie in Polonia & Germania inſcribuntur *Reuerendiſſimi* & *Illuſtriſſimi*, quod in illuſtri & eccleſiaſtico loco poſiti, ac ſupra comunem ſortem euecti ſint, præſertim poſtquam ordinarie ex illuſtriſſima proſapia ad hoc munus excelſum euehi ſoleant. Quod ſi iam de capitulo ſede impedita quæſtio moueatur, non dubium eſt, vti mox docebitur, eidem eſſe dignitatem realem in plerisque adſcribendam, ſed ſi de *perſonali* quæratur, omnino fatendum, capitulum non eſſe ipſum Epiſcopum, adeoque in titulis non eandem poſſe prætendere prærogatiuam. Vnde eſt, quod quidam ex Canoniſtis capitulo denegent titulum *Illuſtriſſimi.* vid. Gonzalez Tellez. *add. c. f. X. ne ſed. vac. aliq. innou.* Quamuis cum Tituli honorum hodie mirum in modum creuerint, non mirandum, ſi iuxta ſtylum curiarum ampliores Tituli capitulo adſcribantur, vt tamen ita Epiſcopo adhuc quædam prærogatiua relinqui debeat. Sic Epiſcopi ſine dubio vtuntur titulo *Dei gratia*, quod antiquiſſimis monumentis docet Dn. Hert. *de ſuper. territ. §. 6.* Sed etiam ibidem docet, capitula hunc titulum ſibi attribuiſſe. Quod vero *inſignia epiſcopalia* attinet ſiue potificialia ornamenta, illa ſine dubio ipſam perſonam epiſcopi requirunt, cum poteſtatem eius, quam ex conſecratione conſequitur, deſignent, & typo quodam præfigurent Sic baculus Paſtoralis ſiue *Cambuca* poſt conſecrationem Epiſcopo datur in ſignum paſtoralis dignitatis ac poteſtatis. *Cidaris bicornis* deſignat tegumentum capitis Epiſcoporum & Archi-Epiſcoporum proprium. Rationem vero, cur mitra bicornis debeat eſſe, Canoniſtæ aſſignant hanc, vt ſcientiam vtriusque teſtamenti capitis ſui ornamentum eſſe agnoſcat Epiſcopus, & aliquo modo populo metuendus videatur. *Annu-*

lus

Digitized by Google

ius poſt conſecrationum epiſcopo datur in fidem eccleſiæ ſeruandam, & ſignum matrimonii inter ipſum & eccleſiam celebrati: *Chirothecæ* denotant, manus ab omni contagione mundaua conſeruandas eſſe, iisque vtuntur epiſcopi in ſacris liturgiis & ceremoniis. Ad veſtes pertinet *Alba*, quæ epiſcopis cum presbyteris eſt communis, *ſuccinctorium* in ſignum caſtitatis conſeruandæ, *Manipulus*, qui fertur in locum mappulæ vel linteæ, in manu vel ſinu, *Tunica*, eaque vel *Dalmatica*, quæ epiſcopo cum reliquis clericis eſt communis, vel *hyacinthica*, quæ epiſcoporum propria, vel *planeta* ſiue *Caſula*, quæ ſuper omnes veſtes induitur, & ſignificat charitatem. Conf. Gonzal. Tell. *ad c. un. X. de ſacr. unct. n. 27. ſeqq.*

§. XXXIII. Priuilegia epiſcopo competentia partim iamtum ipſi ſunt cum aliis clericis, adeoque capitulo, communia, partim etiam per mortem epiſcopi tranſierunt in capitulum, partim quoque cum ipſa perſona epiſcopi expirarunt. Sic etiam capitulores a tutela & cura excuſantur *l. 25. C. de Epiſc. & cler.* Non poſſunt compelli ad teſtimonium ferendum a iudice laico, *l. 7. C. de Epiſc. & cler.* Et propter inſtitutam comparationem capituli cum præfectis prætorio & illuſtribus perſonis, etiam priuilegia his competentia, ad capitulum applicantur. Sic v. g. ſi de cauſis criminalibus accuſatur, per procuratorem coram iudice ſedere poteſt, quæ prærogatiua illuſtribus ſolum data eſt perſonis in *l. vlt. §. vlt. C. vbi ſenat.* Conf. late Fuluius Pacianus *de Probat. lib. 2. c. 28. n. 32. ſeqq.* Ius habendi *Faldiſtorium* vnice ſe refert ad epiſcopum, eſtque facultas ſedem epiſcopalem elatiorem & cancellis circumcluſam habere. *Baldachinum* vero eſt Velarium, quod ſuper capita epiſcoporum ſuſpenditur. Vid. Carol. du Freſne *in Gloſſ. verb. Baldakinus.* Cæterum quemadmodum epiſcopi prærogatiua quadam, vel inter ſe, vel ratione laicorum, gaudent, ita quoque capitulum ſede impedita eodem iure vtitur. Si enim concurrat cum inferiori epiſcopo, vel alio capitulo, *Agitur de priuilegiis.*

Digitized by Google

cuius epiſopus mortuo priori cedere debuit, huic quoque præcedit, vt hac ratione ſedis pro tempore impeditæ, ac futuri epiſcopi prærogatiua debita conſeruetur. Idem iudicium de concurſu cum laicis eſto.

Conſiderantur functiones perſonales, aliaque iura.

§. XXIV. Functiones *Cancellariatus* & *Archi-Cancellariatus* per ſe ferunt priuilegium perſonale, quod extincta perſona etiam extinguitur. Gerunt vero in Germania Archi-Cancellariatus officium, Moguntnus Elector per Germaniam, Elector Colonienſis per Italiam, h. e. regnum Longobardorum & reliquias veteris Imperii Romani, vti explicatur a Conringio *de Elect. th. 43.* Elector Trevirenſis per Galliam (eam ſc. partem quæ ad regnum Burgundiæ pertinuit) & regnum Arelatenſe. Inde iam facile decidi poteſt quæſtio: An capitulum Moguntinum, mortuo ipſius Archi-Epiſcopo, ſede vero forſan impedita, etiam reliquos electores ad electionem conuocare poſſit? Qui id affirmant, ſe fundant in *c. vn. de maior. & obed. in 6.* Et generalem adducunt regulam quod capitulum ſede vacante, & ſic etiam impedita, omnia poſſit, quæ epiſcopus, quemadmodum etiam ad comitia ſoleat conuocari. Verum hanc generalem aſſertionem non eſſe admittendam, ex antea dictis ſatis patet, neque ei competit hoc ius conuocandi qua Epiſcopo aut Statui Imperii, ſed potius ratione Archi-Concellariatus per Germaniam, qui character in Capitulum uon tranſit. Buxtorff. *ad A. B. Concl. 15.* Neque adeo neceſſaria eſt ſemper ſpecialis conuocatio, cum Electores reliqui iam ſatis ipſa lege publica admoneantur, vt ſponte ſua, intra præſtitutum lege publica tempus, conueniant & futurum Regem Romanorum eligant. Alii conſilium ſuggerunt, vt maturet capitulum electiones uoui præſulis. Vid. Limn. *ad A. B. c. 1. Obſ. 3. §. 28.* Sed illud quidem ineptum eſt in ſede impedita, vbi maturari nequit electio. In Germania noſtra, tenore Aureæ Bullæ, *c. 4. §. 4.* Archiepiſcopo Colonienſi ius primum diadema Imperatori imponendi tribuitur. Quan-

quam

quam inter hunc & Archiepiſcopum Moguntinum variæ hac de re ortæ fuerint controuerſiæ, de quibus conf. Limneus *ad Aur. Bull. c. 4. §. 3. obſ. 4.* Quod ius rurſus perſonæ cohæret, nec ſede impedita in capitulum tranſire poteſt. Sicuti vero epiſcopi in variis regnis peculiarem conſtituerunt ſtatum atque inter ordines regni ſunt relati, inprimis vero in Imperio noſtro Germanico-Romano principibus adſcripti ſunt: ita quoque capitulum ſede impedita Statum noſtri imperii eſſe probat Petr. Frid. Mindanus *lib. 1. de proceſſ. in camer. extrahend. c. 19. n. 7.* Georg. Schubhart *in Diſput. de Auſtreg. concl. 3. lit. d.* ad quem me breuitatis ſtudio remitto. Sic ergo capitulum ad comitia vocatur, ac per ablegatum comparens ad ſeſſionem conſuetam admittitur, quod variis R. I. comprobatur. vid. *R. I. de Ann. 1555.* ibi: **Dechant und Capitul zu Minden** R. I. de Anno 1559. ibi: **Probſt/Dechant und Capitul des Thumb-Stiffts zu Freyſingen** R. I. de Anno 1654. **Dechant und Capitul des Stiffts Worms.** Sed & Deciſio legis publicæ extat Sic in *I. P. art. 5. §. 21.* ibi: *Sede vacante* (adde impedita) *capitula, & quibus adminiſtratio cum iis coniunctim competit, ad vniuerſales ac particulares deputationum, reuiſionum, aliosque conuentus imperiales, literis ſolitis euocentur & ſuffragii iure fruantur.* Conf. Paurmeiſter *de iurisdict. lib. 2. c. 9. n. 115. ſeqq.* Wurmſer *Exercit. iur. publici 7. q. 3.* Gaudet quoque capitulum iure Auſtregarum Frid. Prückmann. *Vol. 1. conſ. 20. n. 84.* Limn. *9. iur. publ. c. 5. n. 29.* Illuſt. Dn. Coccei. *in iur. publ. prud. c. 32. §. 24.*

§. XXV. Tandem ad dignitatem epiſcopalem refertur *eminentia* illa in diœceſi, qua hodie in imperio noſtro iura territorialia ac regalia inſtar principum imperii ſecularium poſſident, non quidem vigore legis diœceſanæ aut iurisdictionis epiſcopalis, ſed ex ſpeciali dignitate nimirum *inueſtitura Imperatoria.* Vtrum vero hæc intra territorialia etiam capitulo ſede impedita competant, acris & magni momenti eſt quæſtio. Nos decidimus eam affirmatiue. Hæc enim iura

Iura territorialia capitulo ſede impedita competunt.

epiſcopo competunt, quatenus in temporalibus in diœceſi eſt ſummus, hanc vero qualitatem iam capitulum habet. Deinde a temporibus Ottonis Magni, adeoque a longo tempore, epiſcopi cum baculo paſtorali ſimul ſecularem poteſtatem obtinuerunt, iuxta Reinking *de regim. ſec. & eccleſ. l. 1. claſ. 4. c. 9. n. 3.* Knichen. *de iure territor. c. 1. n. 1063. ſeqq.* Cum ergo ita poſſideant territorium ſeculare, incumbit quoque ipſis, ſubditorum ſaluti proſpicere: quomodo vero hoc fieri poteſt ſi ſubditi renitantur? Quare optima ratione eſt introductum, vt gaudeant interim ſuperioritate territoriali. Iam autem mortuo epiſcopo deuoluitur cura diœceſeos ad capitulum, per conſequens etiam cura circa ſuperioritem territorialem, vt merito concludere liceat, quod omnia illa, quæ potuerit epiſcopus ratione territorii, etiam poſſit capitulum, neceſſitate & vtilitate ita exigente, ſede impedita. Tandem quoque epiſcopi ſuperioritate territoriali gaudent, quia ad inſtar aliorum principū ſunt ſtatus imperii, hoc vero prædicatum etiam capitulo ſede impedita competere, §. *antec.* eſt demonſtratum. Non obſtat, quod per inueſturam obtineantur iura territorialia, quæ tamen in capitulo deficiat; Nam (1) ipſi Epiſcopi ante inueſtituram iam exercent iura territorialia, vt adeoque hæc ad eorum exercitium non præciſe ſit neceſſaria, (2) capitulum quaſi loco defuncti Epiſcopi adminiſtrat, adeoque nihil noui iuris ſibi vindicat, ſed *continuat* ius epiſcopi, donec nouus electus ſit, qui inueſtituræ renouationem petere debeat.

Non vero hoc ipſo confunditur ſacerdotium & imperium. Hinc regalia capitulo negari nequeunt. Tandemque finis additur.

§. XXIV. Neque tamen propterea, quod epiſcopus (capitulum) territorialia iura & ſecularem poteſtatem cum epiſcopali & diœceſano iure posſideat, confunduntur ſacerdotium & imperium, ſed ſeparata manent. Epiſcopalia enim iure miniſterii & ſacerdotii, reliqua territoriali iure exercet. Conf. Matth. Stephan. *de iurisd. lib. 3. p. 1. c. 1. n. 4. ſeqq.* Ceterum, quemadmodum demonſtratum eſt, capitulum ſede impedita iura territoalia posſidere, (in quantum ſc. pactis cum

ſtatibus

Digitized by Google

ſtatibus provincialibus vel legibus publicis reſtricta non ſunt) ita iam exinde fluit, ipſi regalia competere, quæ nihil aliud ſunt, quam iura eminentia ob ius ſuperioritatis territorialis ſtatibus imperii competentia. Quæ tot numero eſſe poſſunt, quot modis ipſa ſumma poteſtas ſe extollere, illaque legitimis modis conſeruari poteſt. Sic competit capitulo ius conficiſcandi bona eorum, qui id promeruerunt; ſubditi diœceſeos tenentur ad collectas, Conf. *Cap. Leop.* §. 3. *vers.* auch nicht gut heiſſen ꝛc. tenentur ſubditi contribuere ad ſuſtentationem militis neceſſarii, ſubditi ſe nullo modo capituli iurisdictioni eximere poſſunt; Capitulum fundatam intentionem habet, quoad ius collectandi in omnia bona ſita in diœceſi, ſiue eccleſiaſtica ſint ſiue ſecularia, Inſtr. Pac. *Osn. art.* 8. §. 1. verb. *Tam in eccleſiaſticis quam ſecularibus.* Competunt capitulo ſede impedita ius conſcribendi militem, ius ſequelæ, luſtrationis, aliaque plura iura, quæ ex legibus imperii fundamentalibus interpretibusque eiusdem per longam ſeriem hauriri poſſunt. Ego interim huic finem impono, Deoque pro conceſſis viribus gratias perſoluo, beneuolum vero Lectorem rogo, vt has meorum ſtudiorum primitias æqui bonique conſulere placidoque examine diiudicare velit.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DN. WILLERDINGIO

S. D.

PRAESES.

RArum quodammodo & inſolitum edis eruditionis Tuæ ſpecimen, materiam ex iure Canonico ſub incudem reuocando, eandemque ex principiis huius iuris ſatis accurate excutiendo. Hactenus experientia docuit, plerumque ſtudium hocce fuiſſe neglectum, tanquam

ius

Digitized by Google

ius alienum & peregrinum, imo ſuperuacuum, quod non mereretur publicis ſubiici diſquiſitionibus; Verum tu in omnia alia iuiſti, optime Tecum reputans, ex ſtatu Imperii noſtri Germanici, doctrinas has Canonicas, non dicam vtiles, ſed neceſſarias eſſe, imo iuris publici ſtudium ſine his eſſe valde hiulcum & mancum. Quin quod noſtrarum eccleſiarum ordinationes maximam partem interpretationem ſuam capiant ex principiis hisce Canonicis, ex quibus multæ concluſiones noſtris adhuc in eccleſiis ſunt retentæ. Quemadmodum itaq; per illud tembus, quo hic iuribus operam dediſti, induſtria Tua ſingularis omnibus imitanda propoſita fuit, ita nunc tale ſpecimen hac tua diſputatione edis, quod identidem aliis optimo poſſit inſeruire exemplo, ſiue elaborationem conſiderem, quam ſatis optime cohærentem deprehendi, ſiue Thematis dignitatem perpendam, quod ingenia eruditiſſimorum etiam poſſit torquere. Gratulor itaque Tibi ex corde ſincero de tantis Tuis profectibus: Gratulor Optimo Tuo Parenti, optime de Republ. Hildeſienſi merito, de filio tantæ ſpei, qui iam publico oſtendit documento, ſe ad quælibet egregia & laudabilia eſſe natum & educatum; imo & Gratulor mihi, de tam ſedulo Auditore, qui poſtquam per aliquot temporis ſpatium mihi iura & ciuilia & Canonica docenti operam dedit, largam iam & ſatis fructuoſam facit meſſem, cui vt Deus quotidie noua & vberrima velit addere gratiæ ſuæ incrementa, omnibus votis contendo. Dabam in Regia Fridericiana d. 14. Mai. MDCC IV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Denique cauſæ viſitationum & parochiales, & omnes aliæ, quæ vel ratione ſubiecti, vel ratione materiæ vel ratione obiecti pro eccleſiaſticis habentur. Conf. Wammeſ. *Conſil. Iur. Can. 67. n. 6.*

Vt & de cauſis mixti fori & ſubſidiariis. Competit capitulo pœnarum impoſitio.

§. XVII. *Mixti fori* cauſæ in genere illæ eſſe perhibentur, quæ quidem per ſe ſunt ſeculares, *ſed quoad certam qualitatem reſpectum habent ad forum eccleſiaſticum*, vel, per ſe habentur quidem pro eccleſiaſticis, propter qualitatem tamen temporalem adiunctam ad forum quoque ſeculare pertinent. Engel. *ad tit. X. de for. compet. n. 67.* quæ cauſæ itidem ſine dubio ad capitulum ſpectant. Varii vero huc referuntur caſus, qui ex ipſis Canonibus hauriri poſſunt, ne, ſi ego illas recenſerem, huius Diſſertationis pagellæ nimium excreſcerent. *Cauſæ ſubſidiariæ* eſſe dicuntur, quæ propter affinitatem quandam ad cauſas eccleſiaſticas referuntur, vtpote cauſæ miſerabilium perſonarum, omnes cauſæ, in quibus a iudice ſeculari iuſtitia impetrari nequit. Conſul. Linck. *de Iure Epiſcop. c. 12. n. 16. ſeqq.* Deinde ad iurisdictionem epiſcopalem refertur etiam *pœnarum impoſitio*, quæ eo minus capiulo denegari poteſt, quo magis Pontifex *in c. vlt. de ſuppl. negl. prœl. in 6.* ſtatuit, metrapolitanum poſſe mittere viſitatorem eccleſiæ vacanti, ſi capitulum negligens ſit in exequenda iurisdictione epiſcopali ad ſe deuoluta. Imo cum capitulo competat ius vtſitandi, competit etiam ipſi impoſitio pœnarum. Sic enim Concilium Trid. *Seſſ. 24. de reform. c. 3.* *Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere* &c. Videmus vero pœnas illas eccleſiaſticas eſſe duplices, vel *vindicatiuas* vel *medicinales* ſiue ſpirituales, quas Canoniſtæ *Cenſuras eccleſiaſticas* nominant. Vid. *c. 1. de ſent. excom. in 6.* Engel. *ad tit. X. eod. n. 2. & 26.* *Vindicatiuæ* vocantur, quibus exceſſus atque delicta ad diiudicationem iudicis eccleſiaſtici pertinentia coërcentur pœna externa, quo referuntur

Pecu-

Digitized by Google

Pecuniaria pœna ſiue mulcta, quæ inprimis decernitur aduerſus clericos maioris dignitatis, aut totum collegium delinquens. *Fructuum beneficialium ſubtractio*, ſi clerici beneficiati delinquant Engel. *ad tit. X. de pœn. n. 7.* *Pœna carceris*, quæ ob exceſſus leuiores clericis, imprimis ordinum minorum, irrogatur vid. *c. 35. de ſent. excom.* *Carena* ſiue pœnitentia in aqua & pane, a quarantena ſiue quadrageſima, vel etiam a carendo denominata. Vid. Carol. du Freſne *in Gloſſ. verb. Carena.* Hæc pœnitentia eccleſiaſtica autem cum 40. diebus & ſeptem ſequentibus annis coniuncta eſſe dicitur in *c. 8. X. de accuſ.* non ita quidem, vt per ſingulos dies & annos continuos carena duret, ſed per quoſdam ſolum dies in vnaquaque hebdomade conf. Gonz. Tell. *ad c. c. n. 2.* *Pœna carceris perpetui*, quam refragante iure ciuili (vid. *l. 35. ff. & l. 6. C. de pœn.*) recepit ius Canonicum in *c. 3. de pœn. in 6.* vt hac occaſione euitetur effuſio ſanguinis, vel incommodum illud, tradendi clericos delinquentes curiæ ſeculari. Vocatur alioquin *immuratio*. Sic de hæreticis loquitur *c. 1. de Heret. in. 6.* quod vel curiæ ſeculari tradendi, vel immurandi ſint, non vt fame & inedia pereant, vt vulgo fabulantur, ſed vt carceris perpetui pœnam ſubeant.

§. XVIII. Cum priori affinitatem habet *Detruſio in arctum monaſterium* ad pœnitentiam peragendam, quœ olim frequenter in vſu fuit. Vid. *c. 2. X. de adult. & c. 6. X. de pœn.* Sed hodie hæc detruſio rarius occurrit, cum monaſteria tales homines vix accipiant, & ab epiſcopis, vel ſede impedita capitulo ad receptionem cogi nequeant, cum iuriſdictioni epiſcopali fere ſint exemta. Vid. Wagner. *ad cit. c. 2. & 6.* *Verberatio ſiue caſtigatio*, etiam in perſonis clericorum *c. 1. X. de calumn.* modo ſit modica & non tranſeat in pœnam ſanguinis, mortis, mutilationis, aut morbi *c. 4. X. de raptor.* Wagn. *ad c. 1. X. de calumn.* *Exilium & relegatio*, quæ pœna etiam quoad clericos probata in *cit. c. 1. de calumn.* *Translocatio*, ſiue translatio *Recenſentur vlterius pœna vindicatina.*

Digitized by Google

in aliam parochiam, vbi delinquentis vei ſalarium, vel dignitas minuitur; vocatur *Germ.* Eine Pönitenz-Pfarre. *Suſpenſio* ſiue ſequeſtratio ab officio, quæ interdum medicinalis, interdum vindicatiua pœna eſt. Minuit autem ſuſpenſio non ſolum exiſtimationem, ſed etiam regulariter ſalario & reditibus priuat. Vid. *c. 11. X. de priuil. Depoſitio*, quæ eſt perpetua muneris eccleſiaſtici priuatio. Poſt peractam tamen pœnitentiam cum depoſito diſpenſari poteſt, iuxta Engel. *ad tit. X. de pœn. n. 21.* Depoſitionem vero promerentur ob crimen atrocius condemnati, ſiue ſint clerici maiorum ſiue minorum ordinum; gradus tamen admonitionis de corrigendis moribus præcedere debent. Retinet tamen depoſitus ordinem & hinc priuilegia clericalia fori & *canonis, ſi quis ſuadente. 29. c. 17. q. 4.* Denique *Degradatio*, omnium pænarum grauiſſima, qua clericus ab omni officio ac beneficio eccleſiaſtico depoſitus, clericorum priuilegiis per ſolennem ſententiam in perpetuum & ſine ſpe reſtitutionis priuatur. Hanc vero, ſicut priorem, capitulum decernere nequit, niſi tribus & iuſtis interuallis, diſtinctis gradibꝰ admonitionum præmiſſis, de emendatione næuorum, ac vitæ diſſolutæ, iuxta *c. 46. & c. 48 X. de ſent. excomm.* propter analogian, quæ eſt inter excommunicationem & haſce pœnas.

Agitur de pœnis medicinalibus.

§. XIX. Reſtant pœnæ *medicinales* ſiue cenſuræ eccleſiaſticæ, quibus capitulum vtitur ad compeſcendos rebelles & inobedientes, vt hoc ipſo iurisdictio eccleſiaſtica conſeruetur ac defendatur. Tres autem ſpecies in *c. 20. X. de V. S.* recenſentur: *Suſpenſio, excommunicatio* & *interdictum.* De *ſuſpenſione* iam §. *antec.* propter bonum ordinem eſt actum. *Excommunicatio* vero in præſentem conſiderationem cadit. Definitur autem ab Engel. *ad tit. X. de ſent. excom. n. 27.* quod ſit cenſura eccleſiaſtica, per quam homo chriſtianus a communione eccleſiæ ſeparatur; diuiditurque varie, Potiſſimum autem (1) in excommunicationem *generalem*, qua fures eorumque compli-

Digitized by Google

complices, niſi reſtituerint ablatum, anathemate feriuntur. *c. 21. X. de ſent. excom.* & ſpecialem, quæ in certam perſonam eſt directa (2) in excommunicationem *canonis ſiue lata ſententia*, & *iudicis* (capituli) ſiue ferendæ ſententiæ (3) in excommunicationem *maiorem* & *minorem*; hæc repellit a participatione ſacramentorum; illa vero ab ipſa eccleſia & cœtu fidelium refractarium peccatorem abſcindit. Ab vtraque Cuiacius *ad c. 10. X. de iudic.* diſtinguit *Anathematiſmum*, huncque plane a corpore Chriſti auellere dicit, quod tamen aliis Canoniſtis, quos recenſet Couarruv. *in c. alma mater p. 1. §. 8. n. 6.* haud placet, & eandem dicunt eſſe vim, idemque vinculum anathematismi, & excommunicationis maioris, differreque tantum quoad ſolennitatem & terrorem, dum anathematismus adiunctas habeat diras imprecationes & execrationes publicas. Hacque ratione excommunicatio maior irrogatur per *ſententiam* iudicis eccleſiaſtici (Capituli), Anathema vero, ſi contumacia creuerit, peragitur per *executionem* ſententiæ latæ, quæ conſiſtit in execratione & ceremoniis in *c. 106. C. 11. q. 3.* propoſitis. Accidit autem interdum, vt vna parochia vel etiam ciuitas in diœceſi delinquat, quo caſu receptum eſt *interdictum*, vt eius terrore percutiantur hæ multitudines. Deſcribitur vero interdictum a Wagner. *ad c. 43. de ſentent. excom.* quod ſit *cenſura eccleſiaſtica, qua fideles vſu quarundam rerum ſacrarum priuantur ad terrorem & correctionem peccantium.* Diuiditur varie. Sic eſt vel *locale*, vel *perſonale*, vel *mixtum*. *Prius* locum, in quo ſacra prohibentur celebrari, immediate afficit, adeoque tam exteros quam indigenas ligat. *Alterum* perſonas certas reſpicit, quas ſequitur in omni loco; ſi denique & locum & perſonas reſpicit, conſtituitur interdum *mixtum*. (2) Interdictum aliud conſtituitur *totale*, quod omnes interdicti effectus habet, aliud *partiale*, quod quosdam ſolum effectus ſortitur, cum v. g. prohibetur, ne quis in eccleſia diuina

celebret aut audiat, neque eo fine ingrediatur. Conf. Laymann. *Theol. moral. lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. ſeqq.*

Capitulum abſoluit a cenſuris, relaxat iuramenta & dimit matrimonia.

§. XX. Cum vero præcipuus cenſuræ eccleſiaſticæ finis ſit, vt qui in peccatis contumaces hactenus fuerunt, ea ratione ad eorundem agnitionem adducantur, ita quoq; hoc caſu eſt receptum, vt *abſolutio* a capitulo fieri poſſit *c. vn. de mai. & obed. in 6.* Quod quidem de cenſura hominis omni dubio caret; quoad cenſuras vero iuris, quæ per Canones, & Bullas Pontificias aut ſtatuta feruntur, diſtinctio recepta eſt inter caſus reſeruatos & non reſeruatos: Ab his vero epiſcopus & quicunque epiſcopalem habet iurisdictionem abſoluit. Barboſa *ad conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6. n. 7. 8.* & hæc quidem diſpenſandi facultas non ſolum in pœnis, ſed etiam aliis materiis conſpicitur. Sic ergo capitulo competit poteſtas *relaxandi* iuramentum ad effectum agendi Fermoſin. *de pot. cap. ſed vac. tr. 1. qu. 15. n. 11.* Quæ tamen relaxatio non requirit citationem alterius partis, ſecus ſi relaxari debeat obligatio iurata. Tandem quoque huc ſpectat poteſtas *dirimendi matrimonia*, vbi tamen occurrit cognitio cauſarum, ob quas matrimonium vel quoad thorum & menſam vel quoad ipſum vinculũ diſſolui debeat. Si quidem Canoniſtæ recentiores matrimonium etiam propter adulterium quoad vinculũ neutiquam diſſolui poſſe cenſent, quorum ſententia etiam a concilio Trident. *ſeſſ. 24. de matrim. c. 7.* eſt approbata. Quam tamen opinionem examinare præſentis non eſt inſtituti.

Conſiderantur ea, quæ ſunt dignitatis epiſcopalis.

§. XXI. Denique QVARTO Epiſcopalis dignitas eſt complexus variorum iuriũ epiſcopo ratione ſtatus epiſcopalis ſeu externi honoris prorogatiuæ &c. compentium. Adeoq; ſub ſe comprehendit TITVLOS epiſcoporum illuſtriores, INSIGNIA Epiſcopalia, quorum appellatione denotantur: *Baculus paſtoralis*, alias dictus quoq; *ferula epiſcopalis* item *pedum*, nec non *cambuca; Mitra* ſeu *Cidaris Bicornis; Annulus, chiroteca;* aliæque veſtes ſacer-

cerdotales,quæ ab Innocentio III. vacantur Pontificialia ornamenta, ad quæ etiam refertur *Pallium*. CERTA PRIVILEGIA, immunitates, & ſecuritates varias,quibus accenſeri poteſt ius habendi thronum ſiue Faldiſtorium, nec non Baldachinum. Inde porro fluit PRAEROGATIVA graduum,qua nonſolum epiſcopi Statibus laicis præcellunt, ſed & ſibi inuicem præſtant, FVNCTIONES habent ampliſſimas Cancellariatus,& Archi-Cancenllariatus, nec non gaudent INAVGVRANDI iure aliisque officiis, quæ Archiepiſcopi nonſolum in imperio noſtro, ſed etiam in aliis regnis orbis Chriſtiani per unctionem, & coronationem Imperatoris, & regum, peragunt. Inprimis huc pertinet, quod in variis regnis peculiarem STATVM & ordinem regni conſtituant, atque in Imperio noſtro iam a multis ſeculis principibus & ſtatibus imperii adſcripti ſint. Denique quod in Imperio noſtro iura territorialia ac REGALIA inſtar principum imperii ſecularium poſſideant. &c &c.

§. XXII. Non hic examinabimus, cur dignitati epiſcopali vltimus inter iura epiſcopalia fuerit aſſignatus locns,cum tota hæc diſtinctio mere ſit magiſtralis; ſed potius ſtatim ipſa iura capituli iuxta hæc conſiderabimus. Prænotandum autem eſt, dignitatem aliam eſſe *perſonalem* aliam *realem*. *Illa* conſiſtit magis in externa prærogatiua,titulis,ſplendore, perſonæ ratione ſingularis qualitatis competentibus. *Hæc* vero comprehendit iura huic prærogatiuæ connexa, absq; tali externo cultu&titulis.Sic Principes&ciuitates Imperii æque ſunt ſtatus Imperii, ſed illis, ſi dignitatem perſonalem reſpicias, maior debetur cultus externus, quam ciuitatibus Imperii, quamvis in ipſis iuribus realibus conueniant. Iam ad hypotheſin,Epiſcopi in Germania ſine dubio tali externo fulgent ſplendore,vt cultus honoris inſignis eis debeatur, adeoque variis ab omni tempore inſigniti fuerunt titulis. Exempla occurrunt in *l. 26. C. Theod. de hæret. l. 42. l. 43. & 45. C. Theod. de epiſc. & cler.* vbi *Venerabiles* & *Reuerendiſſimi* vocantur. *Clem. vn. verſ.*

Diſquiritur de titulis, & inſignibus.

nec

nec ſuper. de pœn. epiſcopos vocat *ſanctiſſimos* & *beatiſſimos*, quamuis hodie *ſanctiſſimi* & *beatiſſimi* titulus ſoli fere Pontifici attribuatur. Porro in *c. fin. de ſent. & re iud. in 6. Illuſtribus* perſonis, & in ſpecie præfectis prætorio æquiparantur *in l. 8. C. de epiſc. Aud.* Vnde adhuc hodie in Polonia & Germania inſcribuntur *Reuerendiſſimi* & *Illuſtriſſimi*, quod in illuſtri & eccleſiaſtico loco poſiti, ac ſupra cōmunem ſortem euecti ſint, præſertim poſtquam ordinarie ex illuſtriſſima proſapia ad hoc munus excelſum euehi ſoleant. Quod ſi iam de capitulo ſede impedita quæſtio moueatur, non dubium eſt, vti mox docebitur, eidem eſſe dignitatem realem in plerisque adſcribendam, ſed ſi de *perſonali* quæratur, omnino fatendum, capitulum non eſſe ipſum Epiſcopum, adeoque in titulis non eandem poſſe prætendere prærogatiuam. Vnde eſt, quod quidam ex Canoniſtis capitulo denegent titulum *Illuſtriſſimi.* vid. Gonzalez Tellez *add. c. ſ. X. ne ſed. vac. aliq. innou.* Quamuis cum Tituli honorum hodie mirum in modum creuerint, non mirandum, ſi iuxta ſtylum curiarum ampliores Tituli capitulo adſcribantur, vt tamen ita Epiſcopo adhuc quædam prærogatiua relinqui debeat. Sic Epiſcopi ſine dubio vtuntur titulo *Dei gratia*, quod antiquiſſimis monumentis docet Dn. Hert. *de ſuper. territ.* §. *6.* Sed etiam ibidem docet, capitula hunc titulum ſibi attribuiſſe. Quod vero *inſignia epiſcopalia* attinet ſiue potificialia ornamenta, illa ſine dubio ipſam perſonam epiſcopi requirunt, cum poteſtatem eius, quam ex conſecratione conſequitur, deſignent, & typo quodam præfigurent Sic baculus Paſtoralis ſiue *Cambuca* poſt conſecrationem Epiſcopo datur in ſignum paſtoralis dignitatis ac poteſtatis. *Cidaris bicornis* deſignat tegumentum capitis Epiſcoporum & Archi-Epiſcoporum proprium. Rationem vero, cur mitra bicornis debeat eſſe, Canoniſtæ aſſignant hanc, vt ſcientiam vtriusque teſtamenti capitis ſui ornamentum eſſe agnoſcat Epiſcopus, & aliquo modo populo metuendus videatur. *Annu-*

lus

Digitized by Google

ius poſt conſecrationum epiſcopo datur in fidem eccleſiæ ſeruandam, & ſignum matrimonii inter ipſum & eccleſiam celebrati: *Chirotheca* denotant, manus ab omni contagione mundaua conſeruandas eſſe, iisque vtuntur epiſcopi in ſacris liturgiis & ceremoniis. Ad veſtes pertinet *Alba*, quæ epiſcopis cum presbyteris eſt communis, *ſuccinctorium* in ſignum caſtitatis conſeruandæ, *Manipulus*, qui fertur in locum mappulæ vel linteæ, in manu vel ſinu, *Tunica*, eaque vel *Dalmatica*, quæ epiſcopo cum reliquis clericis eſt communis, vel *hyacinthica*, quæ epiſcoporum propria, vel *planeta* ſiue *Caſula*, quæ ſuper omnes veſtes induitur, & ſignificat charitatem. Conf. Gonzal. Tell. *ad c. un. X. de ſacr. unct. n. 27. ſeqq.*

§. XXXIII. Priuilegia epiſcopo competentia partim iamtum ipſi ſunt cum aliis clericis, adeoque capitulo, communia, partim etiam per mortem epiſcopi tranſierunt in capitulum, partim quoque cum ipſa perſona epiſcopi expirarunt. Sic etiam capitulores a tutela & cura excuſantur *l. 25. C. de Epiſc. & cler.* Non poſſunt compelli ad teſtimonium ferendum a iudice laico, *l. 7. C. de Epiſc. & cler.* Et propter inſtitutam comparationem capituli cum præfectis prætorio & illuſtribus perſonis, etiam priuilegia his competentia, ad capitulum applicantur. Sic v.g. ſi de cauſis criminalibus accuſatur, per procuratorem coram iudice ſedere poteſt, quæ prærogatiua illuſtribus ſolum data eſt perſonis in *l. vlt. §. vlt. C. vbi ſenat.* Conf. late Fuluius Pacianus *de Probat. lib. 2. c. 28. n. 32. ſeqq.* Ius habendi *Faldiſtorium* vnice ſe refert ad epiſcopum, eſtque facultas ſedem epiſcopalem elatiorem & cancellis circumcluſam habere. *Baldachinum* vero eſt Velarium, quod ſuper capita epiſcoporum ſuſpenditur. Vid. Carol. du Freſne *in Gloſſ. verb. Baldakinus.* Cæterum quemadmodum epiſcopi prærogatiua quadam, vel inter ſe, vel ratione laicorum, gaudent, ita quoque capitulum ſede impedita eodem iure vtitur. Si enim concurrat cum inferiori epiſcopo, vel alio capitulo,

Agitur de priuilegiis.

Digitized by Google

cuius epiſopus mortuo priori cedere debuit, huic quoque præcedit, vt hac ratione ſedis pro tempore impeditæ, ac futuri epiſcopi prærogatiua debita conſeruetur. Idem iudicium de concurſu cum laicis eſto.

Conſiderantur functiones perſonales, aliaque iura.

§. XXIV. Functiones *Cancellariatus* & *Archi-Cancellariatus* per ſe ferunt priuilegium perſonale, quod extincta perſona etiam extinguitur. Gerunt vero in Germania Archi-Cancellariatus officium, Moguntnus Elector per Germaniam, Elector Colonienſis per Italiam, h. e. regnum Longobardorum & reliquias veteris Imperii Romani, vti explicatur a Conringio *de Elect. th. 43.* Elector Trevirenſis per Galliam (eam ſc. partem quæ ad regnum Burgundiæ pertinuit) & regnum Arelatenſe. Inde iam facile decidi poteſt quæſtio: An capitulum Moguntinum, mortuo ipſius Archi-Epiſcopo, ſede vero forſan impedita, etiam reliquos electores ad electionem conuocare poſſit? Qui id affirmant, ſe fundant in *c. vn. de maior. & obed. in 6.* Et generalem adducunt regulam quod capitulum ſede vacante, & ſic etiam impedita, omnia poſſit, quæ epiſcopus, quemadmodum etiam ad comitia ſoleat conuocari. Verum hanc generalem aſſertionem non eſſe admittendam, ex antea dictis ſatis patet, neque ei competit hoc ius conuocandi qua Epiſcopo aut Statui Imperii, ſed potius ratione Archi-Concellariatus per Germaniam, qui character in Capitulum uon tranſit. Buxtorff. *ad A. B. Concl. 15.* Neque adeo neceſſaria eſt ſemper ſpecialis conuocatio, cum Electores reliqui iam ſatis ipſa lege publica admoneantur, vt ſponte ſua, intra præſtitutum lege publica tempus, conueniant & futurum Regem Romanorum eligant. Alii conſilium ſuggerunt, vt maturet capitulum electiones uoui præſulis. Vid. Limn. *ad A. B. c. 1. Obſ. 3. §. 28.* Sed illud quidem ineptum eſt in ſede impedita, vbi maturari nequit electio. In Germania noſtra, tenore Aureæ Bullæ, *c. 4. §. 4.* Archiepiſcopo Colonienſi ius primum diadema Imperatori imponendi tribuitur. Quan-

quam

quam inter hunc & Archiepiſcopum Moguntinum variæ hac de re ortæ fuerint controuerſiæ, de quibus conf. Limneus *ad Aur. Bull. c. 4. §. 3. obſ. 4.* Quod ius rurſus perſonæ cohæret, nec ſede impedita in capitulum tranſire poteſt. Sicuti vero epiſcopi in variis regnis peculiarem conſtituerunt ſtatum atque inter ordines regni ſunt relati, inprimis vero in Imperio noſtro Germanico-Romano principibus adſcripti ſunt: ita quoque capitulum ſede impedita Statum noſtri imperii eſſe probat Petr. Frid. Mindanus *lib. 1. de proceſſ. in camer. extrahend. c. 19. n. 7.* Georg. Schubhart *in Diſput. de Auſtreg. concl. 3. lit. d.* ad quem me breuitatis ſtudio remitto. Sic ergo capitulum ad comitia vocatur, ac per ablegatum comparens ad ſeſſionem conſuetam admittitur, quod variis R. I. comprobatur. vid. *R. I. de Ann. 1555.* ibi: Dechant und Capitul zu Minden R. I. de Anno 1559. ibi: Probſt/Dechant und Capitul des Thumb-Stiffts zu Freyſingen R. I. de Anno 1654. Dechant und Capitul des Stiffts Worms. Sed & Deciſio legis publicæ extat: Sic in *I. P. art. 5. §. 21.* ibi: *Sede vacante* (adde impedita) *capitula, & quibus adminiſtratio cum iis coniunctim competit, ad vniuerſales ac particulares deputationum, reuiſionum, aliosque conuentus imperiales, literis ſolitis euocentur & ſuffragii iure fruantur.* Conf. Paurmeiſter *de iurisdict. lib. 2. c. 9. n. 15. ſeqq.* Wurmſer *Exercit. iur. publici 7. q. 3.* Gaudet quoque capitulum iure Auſtregarum Frid. Prückmann. *Vol. 1. conſ. 20. n. 84.* Limn. *9. iur. publ. c. 5. n. 29.* Illuſt. Dn. Coccei. *in iur. publ. prud c. 32. §. 24.*

§. XXV. Tandem ad dignitatem epiſcopalem refertur *eminentia* illa in diœceſi, qua hodie in imperio noſtro iura territorialia ac regalia inſtar principum imperii ſecularium poſſident, non quidem vigore legis diœceſanæ aut iurisdictionis epiſcopalis, ſed ex ſpeciali dignitate nimirum *inueſtitura Imperatoria.* Vtrum vero hæc intra territorialia etiam capitulo ſede impedita competant, acris & magni momenti eſt quæſtio. Nos decidimus eam affirmatiue. Hæc enim iura *Iura territorialia capitulo ſede impedita competunt.*

 epiſco-

Digitized by Google

epiſcopo competunt, quatenus in temporalibus in diœceſi eſt ſummus, hanc vero qualitatem iam capitulum habet. Deinde a temporibus Ottonis Magni, adeoque a longo tempore, epiſcopi cum baculo paſtorali ſimul ſecularem poteſtatem obtinuerunt, iuxta Reinking *de regim. ſec. & eccleſ. l. 1. claſ. 4. c. 9. n. 3.* Knichen. *de iure territor. c. 1. n. 1063. ſeqq.* Cum ergo ita poſſideant territorium ſeculare, incumbit quoque ipſis, ſubditorum ſaluti proſpicere: quomodo vero hoc fieri poteſt ſi ſubditi renitantur? Quare optima ratione eſt introductum, vt gaudeant interim ſuperioritate territoriali. Iam autem mortuo epiſcopo deuoluitur cura diœceſeos ad capitulum, per conſequens etiam cura circa ſuperioritem territorialem, vt tuto concludere liceat, quod omnia illa, quæ potuerit epiſcopus ratione territorii, etiam poſſit capitulum, neceſſitate & vtilitate ita exigente, ſede impedita. Tandem quoque epiſcopi ſuperioritate territoriali gaudent, quia ad inſtar aliorum principũ ſunt ſtatus imperii, hoc vero prædicatum etiam capitulo ſede impedita competere, §. *antec.* eſt demonſtratum. Non obſtat, quod per inueſturam obtineantur iura territorialia, quæ tamen in capitulo deficiat; Nam (1) ipſi Epiſcopi ante inueſtituram iam exercent iura territorialia, vt adeoque hæc ad eorum exercitium non præciſe ſit neceſſaria, (2) capitulum quaſi loco defuncti Epiſcopi adminiſtrat, adeoque nihil noui iuris ſibi vindicat, ſed *continuat* ius epiſcopi, donec nouus electus ſit, qui inueſtituræ renouationem petere debeat.

Non vero hoc ipſo confunditur ſacerdotium & imperium. Hinc regalia capitulo denegari nequeunt. Tandemque finis additur.

§. XXIV. Neque tamen propterea, quod epiſcopus (capitulum) territorialia iura & ſecularem poteſtatem cum epiſcopali & diœceſano iure poſſideat, confunduntur ſacerdotium & imperium, ſed ſeparata manent. Epiſcopalia enim iure miniſterii & ſacerdotii, reliqua territoriali iure exercet. Conf. Matth. Stephan. *de iuriſd. lib. 3. p. 1. c. 1. n. 4. ſeqq.* Ceterum, quemadmodum demonſtratum eſt, capitulum ſede impedita iura territoalia poſſidere, (in quantum ſc. pactis cum ſtatibus

Digitized by Google

ſtatibus provincialibus vel legibus publicis reſtricta non ſunt) ita iam exinde fluit, ipſi regalia competere, quæ nihil aliud ſunt, quam iura eminentia ob ius ſuperioritatis territorialis ſtatibus imperii competentia. Quæ tot numero eſſe poſſunt, quot modis ipſa ſumma poteſtas ſe extollere, illaque legitimis modis conſeruari poteſt. Sic competit capitulo ius conficiſcandi bona eorum, qui id promeruerunt; ſubditi diœceſeos tenentur ad collectas, Conf. *Cap.Leop.* §. *3. vers.* auch nicht gut heiſſen ꝛc. tenentur ſubditi contribuere ad ſuſtentationem militis neceſſarii, ſubditi ſe nullo modo capituli iurisdictioni eximere poſſunt; Capitulum fundatam intentionem habet, quoad ius collectandi in omnia bona ſita in diœceſi, ſiue eccleſiaſtica ſint ſiue ſecularia, Inſtr. Pac. *Osn. art. 8.* §. *1.* verb. *Tam in eccleſiaſticis quam ſecularibus.* Competunt capitulo ſede impedita ius conſcribendi militem, ius ſequelæ, luſtrationis, aliaque plura iura, quæ ex legibus imperii fundamentalibus interpretibusque eiusdem per longam ſeriem hauriri poſſunt. Ego interim huic finem impono, Deoque pro conceſſis viribus gratias perſoluo, beneuolum vero Lectorem rogo, vt has meorum ſtudiorum primitias æqui bonique conſulere placidoque examine diiudicare velit.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DN. WILLERDINGIO

S. D.

PRAESES.

RArum quodammodo & inſolitum edis eruditionis Tuæ ſpecimen, materiam ex iure Canonico ſub incudem reuocando, eandemque ex principiis huius iuris ſatis accurate excutiendo. Hactenus experientia docuit, plerumque ſtudium hocce fuiſſe neglectum, tanquam ius

ius alienum & peregrinum, imo ſuperuacuum, quod non mereretur publicis ſubiici diſquiſitionibus; Verum tu in omnia alia iuiſti, optime Tecum reputans, ex ſtatu Imperii noſtri Germanici, doctrinas has Canonicas, non dicam vtiles, ſed neceſſarias eſſe, imo iuris publici ſtudium ſine his eſſe valde hiulcum & mancum. Quin quod noſtrarum eccleſiarum ordinationes maximam partem interpretationem ſuam capiant ex principiis hiſce Canonicis, ex quibus multæ concluſiones noſtris adhuc in eccleſiis ſunt retentæ. Quemadmodum itaq; per illud tempus, quo hic iuribus operam dediſti, induſtria Tua ſingularis omnibus imitanda propoſita fuit, ita nunc tale ſpecimen hac tua diſputatione edis, quod identidem aliis optimo poſſit inſeruire exemplo, ſiue elaborationem conſiderem, quam ſatis optime cohærentem deprehendi, ſiue Thematis dignitatem perpendam, quod ingenia eruditiſſimorum etiam poſſit torquere. Gratulor itaque Tibi ex corde ſincero de tantis Tuis profectibus: Gratulor Optimo Tuo Parenti, optime de Republ. Hildeſienſi merito, de filio tantæ ſpei, qui iam publico oſtendit documento, ſe ad quælibet egregia & laudabilia eſſe natum & educatum; imo & Gratulor mihi, de tam ſedulo Auditore, qui poſtquam per aliquot temporis ſpatium mihi iura & ciuilia & Canonica docenti operam dedit, largam iam & ſatis fructuoſam facit meſſem, cui vt Deus quotidie noua & vberrima velit addere gratiæ ſuæ incrementa, omnibus votis contendo. Dabam in Regia Fridericiana d. 14. Mai. MDCC IV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google